Verſ. 12.) Nonne tu Deus qui repuliſti nos, & non exibis: A
Deus in virtutibus noſtris,

Senſus loci.

APerit cauſſam, cur permiſerit Deus toties vinci Hebræos ab alienigenis, ſeu Philiſthæis, Moabitis, Idumæis; quoniam fidebant ſibimetipſis, viribuſque propriis, ſe autem ſpem totam conjeciſſe in Deum. *Virtutes* nominmus crebro exercitus ſignificare, non morales bonos habitus. Inducit Hugo pium Concionatorem ſecum quærentem, qua ratione poſſit *deduci in civitatem munitam*, ideſt, in cor vitiis vallatum, & mentem obſtinatam; quo pacto *in Idumæam*, hoc eſt, in hominem terrena amantem, ſanguineque peccati cruentatum; reſpondentem verò in re tam difficili, ſolam valere gratiam Dei; qui poteſt per re ingredi, ſic per dictam civitatem, & Idumæam, atque *ſuccendere eam pariter*, ut ipſemet dicit *a*, nec non & illud, cum emphaſi: *Ego ſum b, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*: & promiſit, quod *civitatem ſublimem humiliaret, & conculcaret eam per pauperis, greſſuſque egenorum c*.

a *Eſa*. 17.4
b *cap*. 43.25
c *cap*. 26.4

B

Verſ. 13.) Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.

Senſus loci.

UNde nobis dat auxilium, ait Arnobius; de exultatione, an de tribulatione: de tribulatione; quaſi qui dicat, non meretur auxilium conſequi, qui ſe tribulantem non exhibet Chriſto: & crediderit, quia vana ſalus eſt in homine. Similia ſcribit hic, & pſ. 59. nominatus Hieron. Caſſiodorus conſentit, ſimul hic acriter arguens aſſerentes carnem Domini, quem loquentem inducit, & divinitatem, unius eſſe naturæ. De vanitate porrò ſalutis humanæ, homoque ipſe quam ſit vanus, quamvis toties mentio facta ſit, numquam nimis vana oratio cenſeri poteſt, refertque plurimi tantam ab animo humano excludi vanitatem. Inſcripſit Adam S. Victoris monachus æqualis Bernardi ſuo adhuc vivens Epitaphio, hoc inter alia, quæ leguntur in Cœnobio S. Victoris canonicorum regularium in ſuburbio Pariſienſi.

Vanitas ſalutis humanæ.

Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana:
Inter vana nihil vanius eſt homine.

Verſ. 14.) In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

Senſus loci.

IN pſalmo 59. fuit θλίβοντες & *tribulantes*, quum tamen eſſet idem nomen Hebræum cum affixo utrobique צרינו *tſarenu*, propriè ſignificans *tribulantes nos*. Egregium crediti Hieronymi κατόρθωμα, monitumque. (Non dicamus, ſi illud mihi eveniat, aut illud, unde habeo vivere? Reſpondeo tibi, quod majus eſt, ſi perſecutio fiat unde habes vivere? Semper Chriſtiano perſecutio eſt, ſemper nuditas propoſita eſt. Nemo ergo debet de vita iſta deſperare, nemo timeat; nemo debet dicere. Si ſenuero, unde habeo vivere? Si infirmus factus fuero, unde vivo? Chriſtum habes, & times? Si volatilia cœli paſcit, dubitas quod poſſit te paſcere? Diabolus paſcit ſuos D homines, & Chriſtus non paſcet ſuos ſervos? Diabolus facit judices hujus mundi divites, & Chriſtus non poteſt facere, ut non mendices? Diabolus dat aurum, & gemmas, & Chriſtus panem non poteſt dare? Nos omnem ſollicitudinem projiciamus de cordibus noſtris, & dicamus: In Deo faciemus virtutem. Ipſe erit virtus noſtra, ipſe panis noſter, ipſe erit rector noſter.) Hactenus ex illo Auctore. Omnis nobis à Deo virtus, ideſt, vis ac facultas ex ſpeciali gratia ipſius ad opera virtutis, ſaltem quæ dicuntur conducere pietati, & ſaluti, & perfectioni veri Chriſtiani; ſic Paulum *d* ut exhiberet omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu, laborare ſe ſcribebat, certando ſecundùm operationem ejus, quam operaretur in ſe, in virtute. *Deducit Deus ad nihilum inimicos*, aut, ut per humilitatem *nihil eſſe ſe* reputent *e*: aut ut eſſe deſinant, ideſt, vivere, quod perinde eſt ac ſi revera in nihilum redigerentur; juxta illud *f*, *nihil factus es, & non eris in perpetuum*: aut ut etiam damnentur; tunc verò mallent non eſſe, quam eſſe: aut ut ad diabolum deducantur, cui quia primus peccati Auctor eſt, rectè tribuitur nomen ratioque *nihili*, quemadmodum ratio ac nomen *entis*, Deo.

Crediti Hieronymi monitum.

d *Col*. 1.28 29
e 1 *Cor*. 11.11
f *Ezec*. 28.19

PSALMUS

CENTESIMUS OCTAVUS.

1 In finem, Pſalmus David.

2 DEus laudem meam ne tacueris: quia os
peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum
eſt.
3 Locuti ſunt adverſum me lingua doloſa, &
ſermonibus odii circumdederunt me: & expugnaverunt me gratis.
4 Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi;
B ego autem orabam.
5 Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis: &
odium pro dilectione mea.
6 Conſtitue ſuper eum peccatorem: & diabolus
ſtet à dextris ejus.
7 Quum judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum.
8 Fiant dies ejus pauci: & Epiſcopatum ejus accipiat alter.
9 Fiant filii ejus orphani: & uxor ejus vidua.
10 Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent:
& ejiciantur de habitationibus ſuis.
11 Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus:
& diripiant alieni labores ejus.
12 Non ſit illi adjutor: nec ſit qui miſereatur pupillis ejus.
C 13 Fiant nati ejus in interitum: in generatione
una deleatur nomen ejus.
14 In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in
conſpectu Domini, & peccatum matris ejus
non deleatur.
15 Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum; 16 Pro eo
quod non eſt recordatus facere miſericordiam.
17 Et perſecutus eſt hominem inopem, &
mendicum, & compunctum corde mortificare.
18 Et dilexit maledictionem, & veniet ei, &
noluit benedictionem, & elongabitur ab
eo.
Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, &
intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut
D oleum in oſſibus ejus.
19 Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.
20 Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud
Dominum, & qui loquuntur mala adverſus
animam meam.
21 Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia ſuavis eſt miſericordia tua;
22 Libera me quia egenus, & pauper ego ſum, &
cor meum conturbatum eſt intra me.
23 Sicut umbra quum declinat, ablatus ſum, &
excuſſus ſum ſicut locuſtæ.
24 Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro
mea immutata eſt propter oleum.
25 Et ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me,
& moverunt capita ſua.
26 Adjuva me Domine Deus meus: ſalvum me fac
ſecundùm miſericordiam tuam.

27 Et

27 Et ſciant quia manus tua hæc, & tu Domine
feciſti eam.
28 Maledicent illi, & tu benedices: qui inſurgunt in me, confundantur, ſervus autem
tuus lætabitur.
29 Induantur qui detrahunt mihi, pudore,
& operiantur ſicut diploide confuſione
ſua.
30 Confitebor Domino nimis in ore meo, &
in medio multorum laudabo eum.
31 Quia aſtitit à dextris pauperis, ut ſalvam faceret à perſequentibus animam meam.

Titulus, & Argumentum.

Verſ. 1.) In finem, Pſalmus David.

Titulus & argumentũ.

COmmunis adeò multis pſalmis titulus, non eget peculiari expoſitione. De argumento antiquorum expoſitorum recepta ſententia eſt, Judam eſſe Chriſti proditorem præcipuè, cum alios ejuſdem perſecutores Judæos; conſequenter etiam iſtis alios, qui proditoriè violent charitatem; ita ut in Judam præſertim, deinde in alios etiam maledictiones hìc pronuntientur, aut rerum malarum, ſub maledictionum forma; prædictiones; poſtremò ſubjiciatur oratio Chriſti, ſimulque alterius cujuſvis innocentis injuriam paſſi: Petrus quidem certè de Juda uſurpavit pſalmum iſtum *a* tamquam de illo ſcriptum; de quo propterea vult Auguſt. ut exponatur; ſed & de Judæis aliis, quorum ille gereret perſonam, & qui tunc vivebant, & qui nunc per ſucceſſionem perſeverante genere ipſius impietatis, Chriſtum oderunt. Ambroſius *b* præterea docet de Juda, & de Judæis pſalmum eſſe, qui nunc de uno, nunc de pluribus loquitur. Conſentit Cyrillus *c* Jeroſolymitanus, Leo Magnus *d*, Euſebius *e*, Auctor hypognoſticon *f*, Gre- C gorius *g*, Hieronym. *h*, Chryſoſt. *i*, Petilianus licèt hæreticus apud Auguſtinum *k*, Tertullianus *l*, Iſidorus *m*, alii. Volunt etiam nonnulli à Chriſto indicatum præſentem pſalmum, quando dixit: *nemo n ex eis periit, niſi filius perditionis, ut ſcriptura impleatur*; nempe quum dicitur, *fiant o dies ejus pauci, & epiſcopatum ejus accipiat alter*. Nec tamen negaverim de ſuiſmet proditoribus queri Davidem in hoc pſalmo concedi poſſe, ut de Doeg, & Achitophel, ut explicat Trevetus, qui tamen ſeparatim poſtea de Chriſto, aut de aliis populi ſui, poſtea futuris; qualis à reditu ex Babylone Simon fuit, Jaſon, Menelaus, Lyſimachus, Alcimus, & alii, de quibus in hiſtoria Machabæorum, item qui jam reverſum indidem populum, eumdem falſis deferebant, apud Reges Perſarum, criminibus, ne Urbem, templumque reſtitueret, illi *p*, ut indicant Baſilius, & Chryſoſt., aut alius. Petrus *q* Damiani ſcribens Cadaloo Anti-Papæ, affirmat contineri hoc pſalmo triginta maledictiones adverſus Judam pro numero totidem denariorum, quibus vendidit Chriſtum, incipiendo ab illo verſiculo, *conſtitue ſuper eum* D *peccatorem*, &c. uſque ad illa verba, *operiantur ſicut diploide confuſione ſua*. Hoc ipſum tradit Rupertus *r* appellans, triginta vindictas, vel conceſſivas maledictiones, & de Judæis ſimul cum Juda ſub typo Architophel, interpretans, dicenſque ſicut ſerpens inter omnia animalia maximè maledictus eſt, quoniam eo diabolus uſus eſt, ut inſtrumento in horto ad primos parentes decipiendos *ſ*, ita Judam inter omnes homines, qui idem diabolus eum adhibuit ad Chriſtum in horto capiendũ. Beda explanans Actus Apoſtolorum *t* prior adhuc idem docuit de triginta Judæ maledictionibus. Sed & à quodam Auctore Græco, quem non nominat, idem adnotatũ admonet Agellius in fine pſalmi. Obſervatum eſt verò etiam, triginta tùm benedictiones, tùm maledictiones enumeratas à Moyſe *u*, eo quod ſicut bonorum laudes, ita malorum prodeſt vituperatio. Inde Bongus *x* factum putat, ut quum ſupputando pervenitur ad tricenarium, ſoleat is numerus cum Dei laude, ac invocatione nominari. Oſtendit quoque ſymbolum luctus eſſe, quia Aaronem, Mariam, Moyſem mortuos flevit ſigillatim populus diebus triginta; & ſimile quiddam ex profanis profert; tùm ex recepto ritu de Amiſſis triginta *y*. Valentia numerat viginti quatuor maledictiones tantum, deque Judæis omnes declarat. Ad alias execrationes hunc pſalmum adhibitum ritu quodã ſuperſtitioſo Faber meminit, extinguendo lumina, vultus ab altaribus avertendo, in pulvere ſeſe volutando. At non ideò parendum Fabro, ut per indicativos modos canatur, non per imperativos: de qua re poſtea. Nicolaus Papa I. in decreto de electione ſummi Pontificis *z* inter execrationes adverſus violatores ejus, recitat aliquot ex iſto pſalmo. Idem Valentia reprehendit non tantum Judæos de ſolo Davide adverſus Saulem imprecante declarantes; ſed Chriſtianos quoque recitantes hunc pſalmum contra quoſvis perſecutores, quamvis Chriſtiani etiam ſint. Tandem notat Ayguanus hunc eſſe quintum pſalmum inter illos, qui latius de Chriſti paſſione loquuntur; alios eſſe 21. 34. 54. 68. Prior hoc monuerat Caſſiodorus, conſiderans etiam quinarii myſteria.

a *Act*. 1.22
b *in Pſ*. 40 & 41. & 61.
c *Catech*. 11.
d *ſer* 3.5. & 10. *de paſſ*.
e 10. *de demonſtr. Evang. in* 3.
f *lib* 9. *cap*. 5. *apud Aug. tom*. 7
g *hom*. 27. *in Evang*.
h *in Eſa c*. 18 & *in Matt. c*. 27. & *in Ez. cap* 44. & *in Eccl. cap*. 11
i *tract. quod Chriſtus ſit Deus*.
k *lib*. 2. *cont. litt. Petilia. cap*. 8
l *de præſat. cap* 20
m 1. *ſent. c*. 29
n *Joan*. 17.12
o *verſ*. 8
p *Beda*.
q *Lep. in c*1 14. *de Trin*. & *oper. ejus* & *lib*. 11. *de glo*. & *honor filii hom. pag*. 103
ſ *Gen*. 3.13.14
t *in cap*. 1
u *Lev*. 26.16 *Deut*. 27.15. & 28.16
x *lib. de Myſter. n. cum de* 30
Quare tricenarius numerus ſoleat cum Dei laude nominari. Tricenarius a meus ſymbolũ luctus.
y 23. 9. 4 *cap. quia ex Ambroſ. de obit. Theod. item Greg*. 4. *dia. log*. 55
z d. 23. c. 1. §. *quiſquis*. Hic Pſalm. contra perſecutores recitatur.

B *Verſ.* 2.) Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.

Senſus loci.

ORat Deum David, ne quas ad ipſum fundit preces rejiciendo, videatur nolle, ut ipſe illum laudet; quaſi Deus laudem alicujus loqui cenſeatur, ſeu ori alterius laudem ſui ipſius dictare, ac libenter laudari ab eo velle, & laudantem audire, quando unde laudari poſſit, materiam præbet. Nam beneficium laudare ſolemus, & *Deo ipſi confiteri quum benefecerit nobis* a, ac inter alia beneficia, ſi adverſus dolos, fraudes, calumnias, criminationes tamquam ſtrenuum ſe defenſorem, advocatum, patronum, laudatorem exhibuerit. Itaque *laudem ſuam* intelligere poteſt Prophetam tùm activè, qua Deum laudet; tùm paſſivè, qua laudetur à Deo; ita ut laudatus, ideſt, innocens declaratus, Deum, qui declaret innocentiam ſuam, & ſic laudator ſit, ipſe laudet. In quo ſenſu Paulus *b* dixit, *quod tunc*, ideſt, in judicio, *laus erit unicuique à Deo*.

a *Pſ*. 48.19
b 1. *Cor*. 4.5

Myſtico, præcipuoque ſenſu paſſim à Catholicis tradito, Chriſtus Patrem precatur adverſus fictos laudatores, & infeſtiſſimos calumniatores ſuos, Scribas, Phariſæoſque; præſertim autem contra Judam, qui communicato conſilio cum inimicis, exactoque pretio, & doloſo oſculo, ipſum proditurus erat: propterea ut non ſinat obſcurari, & blaſphemari innocentiam ſuam, virtuteſque ceteras, doctrinam, & ipſammet divinitatem, quod facturi erant adeò multi poſtea infideles, Judæi, hæretici, ſchiſmatici, mali Chriſtiani, ſed laudem ipſius tueatur, & celebrari curet, quod Apoſtoli deinde fecerunt, & Martyres, Confeſſores. Doctores, moribus, miraculis, prædicationibus, ſcriptis, ipſo ſanguine: poſtremo, ne permittat ſilentio tradi laudem illam, quæ offerenda erat ipſi Patri propter ejus Filium ab iis, qui inſpicientes mirabilia opera illius, quæq; per gratiam ejus facturi erant credentes in illum, ſummis laudibus cum glorificaturi erant. Talis videtur oratio illa Chriſti. *Clarifica c me tu Pater*, &c. & *Clarifica d nomen tuum*: & *Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*.

Senſus myſticus.

c *Ioan*. 17.1
d *cap*. 12.28

Deus, laudem meam ne tacueris.) Hieron. *Deus lau-* D *dabilis mihi, ne taceas*. Trevetus Hieron. explicat, quia pro beneficiis Deum laudare tenemur, dici laudabilem nobis: & quoniam alia jam beneficia contulit, petit ut hoc adjiciat, unde laudabilis magis adhuc reddatur, ne diſſimulet injuriam, malitiaque hoſtium, impunitam relinquendo. Alii, *Deus laudis mea, qui laudaris à me, de quo glorior: Deus gloria mea, Deus auctor, materiaque gloriationis mea, quem laudo, & cujus ſolius laudem quæro, à quo eſt lauder, & glorificer*. Aquila, Θεὲ ὑμνήσεώς μου, *Dee laudationis meæ*. Symmacchus, ὁ Θεὸς ὑμνήσεώς μου, quod idem valet. Præferenda tranſlatio noſtra, quia juxta tranſlationes iſtas ultimas, & ſimiles accipitur nomen אלהי *Elohe*; perinde ac ſi eſſet in regimine ab אלהים *Elhoim*, in ſtatu abſoluto, quum tamen Hieronymus *e* ut diſtincta nomina Dei hæc duo annumeret inter duodecim, Genebrardus exiſtimat ſyntacticè, ſeu in regimine poni, ſed cum eclypſi צבאות *tſevaoth*, *exercituum*; & tamen eſſe diverſum nomen ab אלהים *Elohim*. Non video cur hoc poſito illud afferatur, & non potius poni in ſtatu abſoluto. Valde quoque dubito, an propriè dici debeant illa nomina diverſa, ſicut & ab iiſdem אלוה *Eloah*, quod habet formam numeri ſingularis,

e *epiſt*. 136

quemadmodum אלהי *Elohe* dualis אלהים *Elohim* pluralis. Quidquid ſit, perinde eſt dicere: *Deus laudem meam ne tacueris*, atq; *Deus laudis meæ*, nempè defenſor, ac patrone, *ne taceas*, ideſt, ne diſſimules, &c. ut in alio pſalmo *a*, *ne taceas, neque compeſcaris Deus*: Ergo Deum abſolutè invocat David, ne taceat laudem ejus, vel activè, vel paſſivè *laudem* accipiendo, ut ante docui. Alioquin aliquoties ipſemet Deus appellatur *laus noſtra b*. Quod attinet ad Chriſtum, Euſebius *c* interpretatur petere, ac exhortari, ut doctrina, quam ipſe ſuis diſcipulis tradidit, & laus novi Teſtamenti non premaţur ſilentio, ſed in omne futurum ævum ad vitæ humanæ utilitatem permaneat. Extendi debet ad plura, de quibus ante dixi. Addit Hugo orationem Chriſti eſſe ſub mortem pro ſua reſurrectione, per quam ſcilicet veluti laudem in morte obſcuratam recuperaret. Theodoretus quoq; Crucem ait hic dici *laudem*, quia in Evangelio eamdem vocat Chriſtus *gloriam ſuam*, ſive *clarificationem d*: & Paulus *e Dominum gloriæ* appellat, quum crucifixionis meminit. Rickelius facit Chriſtum quaſi pari jure ſecum agi exigentem, ut quemadmodum ipſe propriam gloriam non quærebat, ſed omnia ad Patris honorem referebat, ita ille gloriam ipſius, & laudem, atq; juſtitiam aliis manifeſtaret, & eoſdem converteret ad illum laudandum. Deus ipſe profeſſus eſt, quod *eos, qui glorificarent eum, glorificaret f*. Ambroſius *g* indicat laudem eſſe maledicta in Chriſtum jacta, quod ille ſibi laudi duceret, nec ſileri, ſed prædicari vellet, nempe ad exemplum aliorum. Alioqui propriam laudem poteſt quivis à Deo expetere, quando confert ad gloriam nominis divini, & ad proximi ædificationem, immò & interdum laudare ſeipſum, ut aliàs demonſtravi, & hoc loco Ayguanus, citans Greg. *h*. Lege præterea Iſidorum *i*, Auguſt. *k*, Chryſoſt. *l*, qui ſimul tradunt rationem laudibus hominum bene utendi. Si hæſiſſet in mentibus hominum infamia Chriſti, quis ei credidiſſet? Merito itaq; laudem ſuam non taceri poſtulat, ſed manifeſtari: & nonnumquam depulit modeſtè calumnias, ut quum appellaretur dæmoniacum *m*, vel contumax adverſus Pontificem *n*, vel falſus Doctor *o*, & eadem modeſtia reſpondit quæ pertinebant ad laudes ſuas; ut quod eſſet Chriſtus Filius Dei *p*, & Rex *q*: præcepit etiam quandoque his, quos curaverat, ut *annuntiarent, quanta ipſis Dominus feciſſet r*: quoniam carebant illi, quibus mittebantur, notitia Dei. Baſilius quum in ſuſpicionem veniſſet communionis cum hæreticis, atque hæreticos ipſius, purgavit ſe per epiſtolas *ſ*. Idem de Hieronymo *t*, Chryſoſtomo *u*, aliiſque proditum eſt.

Quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.) Hier. *quia os impii, & doloſi contra me apertum eſt*. Alii, *quia os impium, & os doloſum ſuper me*, ſeu *contra me aperuerunt*. Vel, *quoniam os impii, & os doloſi ſuper me aperuerunt*, (nempe illud os, & os aperuerunt ſe, aut delatores aperuerunt hujuſcemodi os) Vel, *quia os impii, & doli*, ſeu *doloſi aperta ſunt*. Vel, *os impius, & os doloſus ſuper me aperuerunt*. Numeri pluralis eſt verbum פתחו *pathechu*. Quomodo ceſſarit annotatio nonnullorum, de qua poſtea, tranſiri verſu ſequenti ab una perſona ad plures. Nomen רשע *raſchiahh*, ἁμαρτωλοῦ, *peccatoris*, innuit magis liberas, & apertas criminationes. Nomen מרמה *mirmah*, *dolum* ſignificans, δολίου *doloſi*, doloſas, & occultas calumnias. *Os aperire* liberius, licentius, prolixius quæ dicta ſunt loqui, ut alioqui *x* monui: & opponitur illis verbis, *ne tacueris*: quoniam non videatur æquum, ut veritas taceat, quando libero, apertoq; ore falſitas vociferatur. Doeg, Architophel, alii adverſarii Davidis intelligi poſſunt: vel reſpectu Chriſti, cum Judæi multi, tum Judas, qui, ut Euſebius *y* notat, proditionis tractavit conſilium; in cœna per ſummam ſimulationem reſpondit *Numquid ego ſum Rabbi?* doloſum proditionis dedit ſignum oſculi, ſalutando, *ave Rabbi*, quum exprobrans eidem Chriſtus tales dolos, diceret ei, *Amice, ad quid veniſti? Juda, oſculo Filium hominis tradis?* Non ita propriè os aperitur oſculando, ſed labris potius preſſis figi ſolet, darique. *In oris apertione* Ambroſius *z* videtur obſervare virus, & ſibila obtrectationum, quaſi ex ore colubrorum jacta, quibus tamquam bonus cervus Chriſtus ſignaretur, & innocuus paſceretur. Hugo idem vult eſſe, *aperire os*, à quo quod vulgo dici ſolet de temere quidvis effutiente, quodcumq; malum veniat ei ad os loqui. Job *a* conqueritur de adverſariis, quod *aperuerunt ſuper ipſum ora ſua*, nempe quaſi more beſtiarum ringendo, & allatrando. Jeremias *b* quoq; lamentatur, *aperuerunt ſuper te os*

A ſuum omnes inimici tui, ſibilaverunt, & fremuerunt, & dixerunt, devorabimus: en iſta eſt dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus.* Cyrillus Jeroſolymitanus *c* de Juda hunc explanans locum, ait, quando Chriſtus oſculanti proditoriè reſpondit, *Juda d oſculo Filium hominis tradis?* admonuiſſe proprii nominis, quod *confeſſionem* ſignificat & quam exigeret veluti ei dicendo, intellige, accepiſti argentum, confitere. Addo indicare forſan voluiſſe, indignum fuiſſe os aperire ad prodendum, & perdendum oſculando, quod aperire debuerat ad laudandum, confitendum, & ſincerè pacis ſymbolum excipiendum, dandumque. Parum aptè aliqui *e* locum iſtum Petro Chriſtum neganti applicant. Non debet abſolutè nominari peccator, doloſus multo minus: etſi namque non leviter peccaverit, cito pœnituit eum, & ex quadam infirmitate, non ex dolo negavit. Colligit Auctor hypognoſticon *f* hoc teſtimonio de Juda, Judæiſque ſumto, cum his quæ in pſalmo ſequuntur, quod illos, qui judicio juſtitiæ Dei à gratia prædeſtinationis ad vitam efficiuntur expertes, Deus præſcivit tantum vitio proprio perituros, non ut perirent prædeſtinavit, præordinavit, impulit. Rectè, ac merito *laudem ſuam non taceri* poſtulat à Deo ille, quem vituperant mali. Horum Deus defenſor eſt, atq; laudator, ut Moyſis, & Aaronis *g*, Suſannæ *h*, Magdalenæ *i*. Davidque ipſe ſperabat fore, ut pro maledictione Semei redderet ipſi Dominus benedictionem *k*. E contrario *confunduntur qui hominibus placent*, (& laudantur ab eis) *quoniam Deus ſprevit eos l*: & quum *peccatores laudantur in deſideriis animæ ſuæ, & iniqui benedicuntur, exacerbant Deum m*; denique *quod hominibus altum eſt*, (quod magnificiunt, & commendant) *abominatio eſt apud Deum n*. Redi, inquit Arnobius, ad conſcientiam tuam, ò homo Dei, qui Chriſtum ſequeris; & quum os peccatoris, & doloſi ſuper te apertum fuerit, gratulare, ſecurus eſto. Quia os peccatoris ad vituperationem tuam aperitur in terra, & ad laudem tuam os Dei aperitur in cœlo.

Petrus abſolutè peccator dici non debet, & quare Obſervatio.

C

Verſ. 3.) Loquuti ſunt adverſum me lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.

Senſus loci.

QUod priore continebatur ſententia numero ſingulari, ac de uno ſolo juxta tranſlationem noſtram, hic magis exprimitur, & quidem de pluribus, nimirum quod oratione, atq; ſermone fraudulento, & malevolo undequaq; quamvis captantes, & quærentes occaſionem, Davidem perſequuti fuerint; & nulla re læſi, ac ſine ulla cauſſa ex ſola nocendi cupiditate lites, bella, damna ei concitaverint. De Chriſto interpretans cum communi ſententia Ambroſ. *o*, notat dictum tranſitum ab uno Juda ad plures Judæos: & hujuſmodi mutationem frequenter in pſalmis reperiri. Collectivè ſumtus numerus ſingularis potuit Judæos comprehendere, quamvis vera ſit Ambroſii annotatio. Simulabant charitatem, ait idem *p* fundebat obtrectationem. Extant in Evangeliis conviciorum, atq; calumniarum plauſtra, quæ maligni, ac malefici Judæi congeſſerunt, & conjecerunt in Dominum. D Dolis egerunt, fictas laudes permittendo, in cenſu *q*, adultera deprehenſa *r*, in quæſtione de uxore ſeptem virorum, cujus foret in reſurrectione *ſ*, & *in qua poteſtate faceret* quæ faciebat *t*, *ineundo conſilium; quo illum dolo tenerent, & occiderent u*, apertis criminationibus, appellando *ſubverſorem gentis, prohibentemque tributum dari Cæſari x*: præterea *Samaritanum, & dæmoniacum y*, *violatorem Sabbati z* *inſanum a*, *vini potatorem, & voracem b*, *peccatorem c*, *malefactorem d*, *cum Principe dæmoniorum paciſcentem e*, *teſtimonium de ſeipſo falſum proferentem f*, denique poſt ſubornatam malitioſiſſimè accuſationem, magnis clamoribus urgebant, *crucifigatur, tolle, tolle, crucifige, crucifige eum g*, & jam crucifixo acerbiſſimè inſultabant *h*.

Loquuti ſunt adverſum me lingua doloſa.) Hier. *loquuti ſunt de me lingua mendacii*. Eſt שקר *ſceKer*, *mendacium*, & אתי *itthi* ſignificat *mecum*. Quaſi dicat, aliud loquuti ſint, me præſente, aliud quum abeſſem. Sed valet etiam את *eth*, idem quod על *hhal*, *ſuper*, *adverſus*, *contra*. Maximam iſtam tribulationem eſſe cenſebat David, & in perſona ejus Chriſtus, dicens *i*. *Ad Dominum quum tribularer clamavi, &c. Domine, libera ani-*

Ambroſii obſervatio in apertione oris.

mam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Et quæ ibidem adjiciuntur eamdem rem plurimum exaggerantia, ita ut nihil ad illud malum addi poſſe videatur. Rurſum *a*, *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo, & doloſo erue me.* Omne quod dicitur quadrifaria Gregorius *b* qualitate diſtinguit, cum malum male; bonum bene; malum bene; bonum male; Exemplis illuſtrat. Judæi contra Chriſtum *lingua doloſa* utebantur, & cum bona de illo dicebant male, ideſt, pravo animo, laudando ipſum: & cum male mala, videlicet confingendo falſa crimina, teſteiq; ſubornando, ut appareret ſpecies aliqua juſtæ accuſationis. Idcircò toties Chriſtus Judæis hypocriſim objiciebat, hypocritaſq; cognominabat in ſolo capite 23. Matthæi octo maledictiones fulminans in hypocritas: Dicuntur quoq; *ſimulatores & callidi provocare iram Dei c*; & *abominatio Domini eſſe omnis illuſor d*: & *maledictus eſſe doloſus e*, & *Deus virum doloſum ſic abominari, ut virum ſanguineum f*. *Pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ei ponit inſidias; numquid ſuper his non viſitabo? dicit Dominus g*: *Congregatio hypocritæ ſterilis h* *gaudium hypocritæ ad inſtar puncti i*; *non dimidiabunt doloſi dies ſuos k*: *ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus l*; *non veniet in conſpectum Domini omnis hypocrita m* *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum n*; *non audiet Deus clamorem hypocritæ quum veniret ſuper eum anguſtia o*: maximum ſupplicium *partem habere cum hypocritis p*: maxima laus tributa Chriſto *peccatum non feciſſe, & inventum dolum non eſſe in ore ejus q*; & ille hoc nomine laudavit Nathanaelem, ut *verum Iſraelitam, in quo dolus non eſſet r*; ſicut prope ſummam, & divinam virtutem neminem decipere, ſic ultimum vitium eſſe Auguſt. *ſ* docet quemlibet decipere: & Hier. *t* in comparatione duorum malorum levius malum eſſe apertè peccare, quam ſimulare, & fingere ſanctitatem. Adverſus dolos fraudeſque ſæpè, ſed ſatis numquam dictum.

Quicquid dicitur quadrifaria qualitate diſtinguitur.

Hypocritarum maledictiones & pœnæ.

Summum vitium quemlibet decipere.

Levius malum apertè peccare quàm ſimulare.

Et ſermonibus odii circumdederunt me.) Significat hæc phraſis aggreſſionem malevolam verborum ex omni parte, quod etiam Latini uno verbo *circumveniendi* exprimunt: & τὸ ἐκύκλωσαν importat quaſi *circulo includere, ut evadi non poſſit*. *Circumvenire* Interpres noſter in hac notione aliquoties uſurpat *u*, & *circumventionem x*, quamvis aliæ ſint Hebrææ, & Græcæ voces, quam hìc, ubi Hebræa eſt סבב *ſavav* nec dictum circulum ita ſignificantes. Duct. etiam Latini verbi metaphora ab obſidente, vel feram, vel arcem: & *criminibus falſis circumveniri* Saluſtius *y* dixit; Cæſar *z per inſidias*; Cicero, *judicio a*, & *judicio capitis b*, & *periculo c*. Caſſiod. & Hugo innui volunt inſanam multitudinem, quæ quaqua verſum verba nequiſſima adverſus Chriſtum perſonabat, tunc præſertim, quum importunè vociferabantur, *crucifige, crucifige*. Bruno tot amaros ſermones deſignantes odium, ut totus per emphaſim Chriſtus videretur ex his circumdatus, & circumvallatus. Huc ſpectant *circumdantes vituli d*, *tauri e*, *canes f*, *apes g*. Heſychius hoc applicat ad id tempus, quando in concilio in atrium Caiphæ convocato, circumdantes Chriſtum, falſos contra illum teſtes ſubornaverunt *h*. Circumdediſſe quoque Chriſtum Judæi ſcribuntur, dicendo *i*, *quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam.*

Et expugnaverunt me.] Idem eſt, quod ſimplex *pugnare*, aut *impugnare*, ſicut pſalmo 128. *k*, *ſæpe expugnaverunt me*, &c. quum ibidem ſubdatur, *etenim non potuerunt mihi*, & in 34. *l*. *Expugna impugnantes me*. Niſi cum Hugone interpreteris Judæos opinione ſua *expugnaviſſe* Chriſtum, ſeu viciſſe, quoniam crucifixum, atq; mortuum non crediderunt reſurrecturum. Vel cum Haimone, & Rickelio *expugnare*, uſque ad mortem perſequi. Vel cum eodem, & Brunone, quia eo redegerunt interrogando, ut ſe Dei filium fateretur, quod eſſe falſum putabant, & extorquere maximè volebant. Verum ut dixi, non plus valet *expugnare*, quam *pugnare*, quod hic eſt πολεμεῖν, & נלחם *nilcham*, aut לחם *lacham*, quod aliis locis cum eodem Græco verbo.

Gratis.) Hier. *fruſtra*. Alii, *ſine cauſſa*, ſicut pſalmo 3. *m*: *quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſſa* ματαίως, licèt alia ibi ſit Hebrea lectio. Hoc loco eſt חנם *chinnam*, & δωρεάν. Commentarii Auctor ſub Hier. nomine dupliciter exponit, *gratis*. Primum, *ſine cauſſa*: quia non peccaverat Chriſtus, nec merebatur debellari tot ac tantis de cauſſis bene meritus de omnibus. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod*, dicebat Chriſtus *n*, *eorum opus me lapidatis?* Item *ſe*

A *odio habitum gratis o* proteſtatus eſt; cauſa etiam quam in primis prætendebant coram Pilato, inanis erat, quod Cæſaris imminueretur auctoritas, ut Leo *p* demonſtrat. Idem valet *gratis abſcondere interitum laquei q*, *odiſſe*, vel *odio habere gratis r*, *perſequi gratis ſ*, *impugnare, gratis t*, πολεμεῖν δωρεάν, & in pſalmo 37. *u quot odiſſe inique*, legimus ἀδίκως Hebraicè dicitur חנם *chinnam gratis*: & in Proverbiis *x*, *ne ſis teſtis fruſtra contra proximum tuum* חנם *chinnam*. Alter ſenſus eſt, quod perſequendo nihil profecerint, nec impleverint deſiderium ſuum in ea re: volebant enim extinguere, & delere nomen Chriſti, & tamen non potuerunt. Auguſt. hoc ſequutus ait. (Sicut pii gratis amant Chriſtum; ſic impii gratis oderunt: quia ſicut veritas nullo extra eam propoſito commodo, ſed propter ſeipſam expetitur ab optimis, ita iniquitas à peſſimis. Unde apud Auctores ſæcularium litterarum dictum eſt de quodam peſſimo; gratuito potius malus, atq; crudelis erat.) Hactenus Auguſtini ſermo. Qui rectè hoc impiis, peſſimiſq; tribuit: paſſim enim quæritur B etiam in peccato emolumentum; immò nullus abſolutè ad malum reſpiciens operatur; ſed aliqua propoſita ratione boni, quæ tamen interdum tam levis eſt, quemadmodum ſola explendæ libertatis cupiditas abſq; alia utilitate, ut nulla moraliter exiſtimari poſſit. Magno ſolatio eſt innocentis teſtimonium conſcientiæ: quod quæ gratis & ſine cauſſa maledicatur nobis. Nota tibi gratis non vitio tuo ſit, non culpa tua ſit, inquit Arnobius, ſed eorum mendacium veritati tuæ ſerviat. Servit enim mendacium veritati, ſi famam non timeas hominum. Nihil enim agit falſus teſtis, niſi ut ipſam commaculet. Si times hoc, ſervus effectus es, ſi non times, liber es. Time ergo ſolum Deum, & de bona conſcientia præſumens ſentiat ſe propoſiti tui famam (fortaſſis, fama) eſſe ancillam, & eam compelle ſervire magis, quam imperare virtuti. Nam ſi timueris, eris omnium, qui obtrectare potuerunt, ſervus, & timebis verum dicere, ne de te falſa confingant. Omnino ſapienter, & utiliter. Poſſet qui in *expugnandi* verbo facere vim vellet, ſimul cum priore C verbo *circumdandi*, & exponere quod quaſi circumdatum reti ceperint *y*, proferre Jeremiæ locum, *venatione ceperunt me quaſi avem inimici mei gratis*. Hugo in toto verſu magis piè, quam ſolidè, obſervat octo vitia, quæ fuerunt in Judæis, & ſunt in detractoribus: in verbo *loquuti ſunt*, loquacitatem, contra ſilentium: in *adverſum me*, temeritatem, contra reverentiam, quæ Domino, & bonis debetur: in *lingua doloſa*, fraudem, contra juſtitiam in *ſermonibus*, procacitatem, contra modeſtiam: in *odii*, inimicitiam, contra charitatem, in *circumdederunt*, circumventionem, contra veritatem: in *expugnaverunt me* bellum, contra pacem: in *gratis* ingratitudinem, contra gratiam. Gratiora ſunt iſta vulgo, nec penitus contemnenda, tum præſertim ſi idoneus eorum proferatur Auctor, non ſe quis primum auctorem faciat, non litteralem contemnat ſenſum qui myſticus dumtaxat vel accommodatitius eſt; deniq; ſi ſic ſerviat alienæ honeſtæ voluptati, ut nihil incommodet ſolidæ veritati.

Etiam in peccato quæritur emolumentum.

Hugonis obſervatio.

D *Verſ. 4.*) Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

Verſ. 5.) Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

Senſus loci.

REvera expugnatum ſe gratis docet, ut qui non modo alios non læſerit, ſed eximia benevolentia, beneficioq; ſit eos proſequutus quibus reſpondere illos oportebat, redamando, & non vice dilectionis, detrahere. Nec ſic tamen ingratitudine tanta, odio, maledicentia, impeditum ſe dicit, vel retractum, vel retardatum à charitatis inſtituto, ſed preces ad Deum fudiſſe, non ſolum pro ſeipſo, ne ſibi nocerent tali armorum genere, muniendo ſe adverſus rabiem illorum, verum etiam pro illis, ut meliorem mentem Deus largiri dignaretur. Nihilominus eoſdē perſecutores pertinaciter perſtitiſſe in maleficio, & odio, illud pro beneficio, pro dilectione hoc rependendo perverſa prorſus viciſſitudine, atq; commutatione. Nemo non videt, quam belle id quadret Chriſto, de quo Procopius *z* etiam explicat, & Iſidorus *a*, qui pro crucifixoribus oravit in Cruce diſerta oratione *b*; nec ambigendum quin id ipſum fecerit occulta, tacitaq; quoties detrahentes audiebat, quum id nos quoque facere præceperit

a cap.6.18 b 10. de demonſtr. in 3. c Matt.26.35 d Luc.22.32 e in Pſ.118. ſerm.6

perit *a*. Addit Euſebius *b* orationem in horto *c*, priuſquam comprehenderetur. Auguſtinus illam quoq; pro diſcipulis, (pro Petro) *ne deficeret fides eorum* d. Ambroſius *e* verò explanans de Davide comparanſq; ut pridem notavi, cum cervo, nequaquam humanorum ſerpentium ſpiras, & malevolorum venena metuente, illiq; non noxam, ſed prædam, & cibum, & ſaginam dicens fuiſſe ſic ſcribit tamquam verbis Davidis. (Simulabant charitatem, fundebant obtrectationem; ego autem orabam,) Subdit, quod, in medio illorum veluti viperarum innocuus paſcebatur: dumq; illi triſulcis ore linguis micabant hunc ſancta paſcebat oratio, immò cibū obtrectatoribus offerebat, quia *verbum Dei panis eſt* f. Sed idem iterum *g* clarius de Chriſto interpretans, bonum ſcutum vocat orationem, quo omnia adverſarii ignita ſpicula repelluntur: ejus imitatione Valentinianum oraſſe Imperatorem. Jeremias *h* Chriſti typus protulit ſimilem ſententiam, *Numquid redditur pro bono malum, quia foderant foveam animæ meæ? Recordare, quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis.* Antea *i* Propheta expoſuerat hoſtium conſilium, ut *cogitarent cogitationes contra illum, & percuterent lingua.*

f Deut.8.3. Matt.4.4 g orat. in ob. Valentin. h cap.18.20 i verſ.18.19

Pro eo, ut me diligerent.) Hieron. *pro eo, quod eos diligebam.* Alii, *pro dilectione mea*: vel, *pro amore, quo illos proſequebar.* Ita paſſim Hebræi, & Hebraizantes. Hebraicè eſt nomen cum affixo, & antè illud pronomen התחתאהבתי *thachath ahavathi*, *pro dilectione mea*: quod exponi poteſt vel *pro ea, qua diligebam*, vel *pro ea, qua diligi debebam*: & idem eſt de verbis ſequentibus, in quibus Interpres poſuit, *pro dilectione mea*, quia Græcè legitur, ἀντὶ ἀγαπήσεώς με, quum textus Hebræus non variet. Hoc etiam loco habent Græca æquivocationem, ἀντὶ τοῦ ἀγαπᾶν με, *pro diligere me*, nempe aut pro eo, quod ego diligebam, aut pro eo quod alii me diligere debebant. Fortaſſis legerunt hic LXX. verbum אבתי *abauthi*; inferius nomen אהבת *ahavathi*. Non omnes omnino Latinieum Græcis, ut Agellius afferit, iſtam noſtram translationem ſectati ſunt. Iſidorus *k* enim uſus eſt hac alia, *pro eo, quod eos diligebam*, & Baſilius declarat, *pro eo, quod ego diligebam*: aitque nihil aliud innuere quam quod benè faventi contraria rependerint.

k de nativit. Dan. cap. 42 l ibid.

Detrahebant mihi.) Hieron. & Iſidorus *l*, *adverſabantur mihi*. Cajetanus, *impedient*. Hebræum verbum futuri temporis pro præterito quum affixo eſt ישטנוני *iſtenuni*, & Græcam ἐνδιέβαλλόν με. Ex illo eſt nomen *Satan*, ex hoc *diaboli*; de quibus alias actum eſt: ſignificatq; ſecundùm, *illum, qui detrahit, & accuſat*: primum, *eum, qui ponit impedimentum, offendiculum, ſcandalum.* Exponit Cajetanus, quod impedirent Chriſtum Judæi à vita, ab officio evangelizandi, ab amore, ne ſcilicet ejus effecta proferret. Eadem de cauſſa Petrum ipſum Chriſtus vocavit *ſatanam, & ſcandalum ſibi eſſe* dixit, *ne ſapere quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*, quando conabatur à Cruce eum retrahere *m*. Auguſtinus poſita diſtinctione, cujus alibi mentionem feci, (ut reddat quis bona pro malis, non reddat mala pro malis: reddat bona pro bonis, reddat mala pro bonis; & horum duo prima ſint bonorum, ſed prius eorum melius; poſtrema duo malorum, ſed poſterius deterius, quod eſt præſentis loci; duo media quodammodo mediorum, ſed eorum prius propinquum bonis, poſterius propinquum malis) quæ omnia exemplis illuſtrat; poſt hanc, inquam, diſtinctionem, notat (non parum aliquid putari debere, quia non ait Propheta, ſive Chriſtus, *pro eo ut me diligerent, interficiebant me*, ſed *detrahebant mihi*. Ideò quippe, inquit, interfecerunt, qui detraxerunt, negantes Dei Filiū, & dicentes, quod *in Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, & *dæmonium habet*, & *inſanit, quid eum auditis* o? & cetera talia. Qua detractione ab illo avertebant eos: quorum converſionem ille quærebat. Et ideò potius hoc dixit, ut oſtenderet magis eos nocere, qui Chriſto detrahunt, & per hoc animas interficiunt, quam qui ejus mortalem carnem mox præſertìm reſurrecturam, ſæviendo peremerunt) notatu profectò digna tanti Patris doctrina, quantum ſit malum detractionis, quam grave damnum animarum, cujus comparatione videatur minus mors ipſa Chriſti.

Satan & diabol. etymo. m Mat.16.23 Expoſitio Auguſtini, & diſtinctio de modis reddendi, aut non reddendi bona, & mala. n Luc.11.15 o Ioan.8.48.

Ego autem orabam.) Addit Iſidorus *p* *pro eis*. Chald. eſt etiam verbum אצלי *atſalle, precabor*; quod exponi poteſt per præteritum, ſed Hebr. ואני תפלה *vaani thephillah*, *& ego oratio* nempe *ſum*, aut *eram*: quoniam, inquit Cajetanus toto vita Chriſti fuit meritum, orans, & intercedens ad Deum pro humano genere. Alii, *& ego vir orationis eram*: vel *orationem fundebam pro eis*: vel *ad orationem confugiebam*, impetitus nempe detractionibus.

p de nativit. Dom. &c. c. 44

A

Præterea, quæ de Chriſto oratione prius dixi, & præter id, quod modo notatu dignum retuli ex Cajetano quaſi Chriſtus ſit abſtractè, & abſolutè ipſiſſima oratio, vel certè quod in Hebræa reticentia, *& ego oratio*, lateat eximia quædam emphaſis, quæ vix exprimi poteſt. Præter iſta omnia, meretur obſervationem, quod quum Jeſus curaſſet hominem aridam manum habentem, Scribæ autem, & Phariſæi *repleti inſipientia colloquerentur ad invicem, quidnam facerent de illo, exiit ille in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei* q Nam licet orationis hujus cauſſa una videatur, ut eligeret Apoſtolos, quod mox ab oratione feciſſe narratur *r*; nihilominus & illa concedi poteſt, ut pro ſcribis, ac Phariſæis, quia tantopere ei fuerant adverſati, & inſidiati, oraret. Favet Lyranus, citans hic in exemplum dictam orationem. Habet affinitatem ſententia pſalmi 34. *ſ Ego autem, quum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio: humiliabam animam meam, & oratio mea in ſinu meo convertetur.* Diceres vaporem eſſe, qui vi caloris elatus, & in aquam denſatus decidit: quod accidit etiam expreſſo de floribus liquori, aut exhalationi aliarum rerum ita ut idcircò *ſimilis* dicatur *oratio incenſo t*, aut *phialis plenis odoramentorum. u* Sic Paulus imitatus Chriſtum *x*, Stephanumq; *y* ſuum ut ita dicam lucratorem, & Chriſti præceptum *z* ſequutus, *maledictus benedicebat, perſequutionem paſſus ſuſtinebat, blaſphematus obſecrabat. a* Hujuſmodi eſt illud aliud ex pſalmo 68. *b Adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum: ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.* Egregium ſanè, ac fortiſſimum ſcutum adverſus omnia tela obtrectationum oratio eſt, ut Ambr. *c* id teſtantem nuper audivimus; quo ſe Religioſos potiſſimum viros armare oportet adverſus maledicos, tum apertos ſeculares, tum etiam Religioſos tepidos, quamvis non ita disertè, aperteq; maledicentes. Vide quid in iſtos ſcribat Jacobus Aluarez noſter in opere de vita ſpirituali *d*. (Vidiſti unde quærebat David auxilium, inquit Chr. *e*: Alii dolos plectebant, calumnias, & inſidias; ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem; preces, inquam, per quas omnia difficilia, levia, & facilia mihi fiunt.) Hoc ipſo loco idem Doctor, ſive alius, (Vidiſti, ait, Philoſophiam, vidiſti moderationem, vidiſti manſuetudinem vidiſti animæ pietatem, & religionem. Non armabar, inquit, nec contra eum aciem inſtruebam, (poterat Chriſtus impetrare duodecim legiones Angelorum *f*) ſed ad te confugiebam, tuum implorabam auxilum, tuam opem, arma tua potentiſſima, tuum inexpugnabile præſidium.) Job inter tribulationes, & amicorum convitia ſibi *circa dentes labia derelicta tantummodo* dicebat *g*, quaſi, ut Auguſt. *h* acute docet, fortitudinem, (legit enim cum LXX. *oſſa in dentibus*) & firmitatem ſuam collocaret in verbis nempe orationis, non in factis, nimirum vindictæ. Attendebat ille in omni calamitate ad Deum, non ad eum, qui tamquam Dei virga ipſum percutiebat: & idcirco Deum benedicebat & laudabat. *i* Petrus *k* item admonebat, ut *qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas.* Huc facit quod alius memini me dicere traditio ab Origene *l* recitata circa locum illum libri Numerorum, * *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas uſque ad radices carpere.* Chaldaicè, & Græcè utroque in membro eſt *ablingendi* verbum. Traditio autem, ſive quam ſe à majoribus accepiſſe ſcribit Origenes, expoſitio, eſt, indicari verbis illis, quod populus Dei non tam manu, & armis, quam voce, & lingua pugnabat, ideſt, orationem fundens proſternebat inimicos. Ceterum oratio Chriſti an fuerit ſemper exaudita, diſputavimus alibi. Denique ſignificat David ſe detractionibus non eſſe retardatum quo minus oraret, & vacaret piis operibus, quaſi non attenderet, ac non curaret. Sic alibi, *m Quum ſederent Principes, & adverſus eum loquerentur, nihilominus exercebatur in juſtificationibus Dei: & quum ei moleſti eſſent, induebat ſe cilicio, n* &c. Sic etiam *Chriſtus inclinans ſe digito ſcribebat in terra. o*

q Luc.6.12 r verſu 13 Cauſſa orationis Chriſti in monte ſ verſ.14 t pſal.140.2. u Apoc.5.8. x Luc.23.34 y Act.7.59 z Luc.6.28 a 1.Cor.4.12 b verſ.13 Oratio ſcutum fortiſſimum adverſus omnia tela, c orat. in ob. Valent. d p.2.l.5.c.21 e hom.29. in Geneſ. f Mat.26.53 g Job 19.20. h ibidem. i Job 1.21 k 1.ep.4.19 l hom.11. in Exod. * cap.21.4 m pſ.118.23. n pſal.34.13. o Joan.8.6

B

C

D

Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis.) Hieron. in ſingulari *malum pro bono*, prout eſt in textu Hebræo. Pertinet ad iſtum locum diſtinctio Auguſtini de modis reddendi, aut non reddendi mala, & bona, quæ diſtinctio in canones *p* quoque relata eſt: De eadem retributione malorum pro bonis meminit David in aliis pſalmi *q*. Non arridet multum, ut *ponere*, cum Hugone, ſumamus pro *ſuperponere*, atque *imponere*, hoc eſt affingere, quod bona fierent mala intentione: vel pro *condere intra theſaurum*, ideſt, *theſaurizare ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua a*, nempe in pœna, quod quis poſuit in culpa. Tolerari poteſt ut ſenſus accommodatitius: tropologia vero melior adverſus ingratos, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes b*, nec *aſſerentes mercedem ſuam illi*, (videlicet animas pro quibus mortuus eſt) *nec quieſcentes*, hoc eſt, peccare deſinentes *c*.

p 13.q.3.c. ſex. q pſal.34.12. pſ.37.21

a Rom.2.6 Tropologia b Hebr.6.6 c Zach.11.12

Et odium pro dilectione mea.) Docui initio verſus 4. ubi legitur, *pro eo, ut me diligerent*, Hebraicè utrumque dici eodem modo, & orationem ea lingua æquivocam eſſe, Latinè, & Græcè hoc loco eadem æquivocatio poſſet eſſe vel de dilectione, qua David, & Chriſtus diligebat, vel quæ ipſi debebatur ab aliis, & qua diligi debebat. Communior & melior ſenſus ibi ſecundus, hic primus. *Diligamus Deum*, ait dilectus *d* Domini, *quoniam ipſe prior dilexit nos.* Conqueritur Chriſtus, *quum exemplo gallinæ congregare voluiſſet Judæos ſub alas* protectionis ſuæ chariſſimæ, *illos noluiſſe e*: & apud Oſæam *f*, quod *quum erudiviſſet eos, & roboraviſſet brachia eorum, in ipſum cogitaverant malitiam.* Non eſt magna laus, nec homine digna Chriſtiano, *diligere tantum diligentes ſe, atque ſalutare fratres tantum, quia & publicani, & Ethnici hoc faciunt g*: perfectio autem exigitur à Chriſtiano ſimilis perfectioni Dei Patris noſtri *g* & Chriſti magiſtri, qui exemplum dedit *h*, non tantùm docuit. Decet quemlibet noſtrum repræſentare animo ſuo totam præſentem orationem tamquam loquentis, & exprobrantis Dei, Chriſtique: vel aliter dicentis, *Quid feci? quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatum meum in te i? popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui k? quis ex vobis arguet me, de peccato l? haccine reddis Deo popule ſtulte, & inſipiens m?* Arnobius maledictiones ſequentes jubens nos congerere non in homines, ſed in malitiæ principem, ait, quod ipſe ponit adverſum nos *mala pro bonis* ſive dum bona operamur, quia mala nobis per ſuum excitat zelum, ſive dum idola oſtendit, ſive dum concupiſcentias carnis oſtentat, & odium pro dilectione immittit, ita ut videatur nobis amare, ac diligere, quum ad peccatum tribuit facultatem.

d 1.Joan.4.19 e Matt.23.37 f cap.7.15 Diligentes ſe diligere tantu, non eſt laus Chriſtiano digna. g Mat.5.46.47.48 h Joan.13.14 2.Petr.2.21 i 1.Reg.19.20 k Michea 6.3 l Joan.8.46 m Deut.32.6

Verſ. 6.) Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris ejus.

Senſus loci.

Illas incipit maledictionum ſive viginti quatuor, ſive ut plures, qui eas enumerant dicunt, vel contra Judam, vel etiam contra Judæos juxta ſenſum ſaltem myſticum: juxta litteralem contra Davidis perſecutores vafros Saul, Doeg, Architophel, ſimileſque & conſequenter contra quoslibet, qui ſimili ratione perſequantur juſtos. Exponit Trevetus de Saule, cui David imprecetur, ſeu de quo per imprecandi modum prædicat fore, ut ſit in poteſtate impii, & diabolus dirigat manum ipſius ad malum faciendum: id autem impletum eſſe, quando traditus eſt in poteſtatem ſpiritus mali exagitantis ipſum *n*, & dirigentis manum ut lancea transfoderet Davidem *o*. Innuit eumdem ſenſum Antiochus *p* Abbas, quum ſcribit Davidem per lyram mellicum hoc cantilaſſe carmen adverſus invidiam Saulis, nempe quod verſibus proximè præcedentibus continetur, quodq; poſt ea ſubditur, *maledicent illi, & tu benedices.* Lyranus, & Rickelis explicant prædictionem de Caipha, qui *peccator* dicatur, quia ultimatum conſilium dedit de morte Chriſti *q*; prædicatur autem *conſtituendus ſuper* ſive *contra* Chriſtum, quia permiſſus eſt id conſilium dare, & videlicet poſtea adductum ante ſe condemnare *r*, item *diabolus ſtare à dextris* ejuſdem Caiphæ, quoniam ad id eum ille excitavit, ut pro auctoritate alios ad idem traheret. Chryſoſt. refert ad Sacerdotii fraudulentos invaſores, qui deturbarunt Oniam de Sacerdotio, ac tot in populo malorum fuerunt Auctores. Menalaum quidem Antiochus accuſante Lyſia, præcipitavit de turri *ſ*, ſed idem Pater, & Rickelius, aliiq; plures hoc Judæ tribuunt, ac pro eodem *peccatorem* ac *diabolum* ſumunt, ut diabolo ſubditus ſit, qui Chriſto ſubditus eſſe noluit, & cenſeatur ei à dextris eſſe diabolus, cujus opera præpoſuit operibus Dei, ita ut dextera ejus dextera ſit iniquitatis, quoniam hoc cuique non immerito dextrum dicitur, quod præponit, ſicut ſiniſtræ dextra præponitur, quemadmodum è contrario, *juſtus ait à dextris Dominum ſibi eſſet t.* (Diabolus ergo ſtetit à dextris Judæ, inquit Auguſt. quando præpoſuit avaritiam ſapientiæ, & pecuniam ſalutis ſuæ, ut cum traderet, à quo debuit poſſideri, ne ab ipſo poſſideretur, cujus opera ipſe Chriſtus diſſolvit *u*, à quo noluit poſſideri.) Nec potuit dexteram habere liberam, ait Caſſiodorus, qui tota ſiniſtræ partis ſcelera ſapiebat, & nulla meruit confeſſione ſalvari; ſed deſperatione malorum laqueo præfocatus occubuit. Digna ſceleris pœna ut ei malevolentiſſimus ac ſæviſſimus, prorſuſque implacabilis peccator, & peccati primus Auctor, perpetuuſq; ſuaſor diabolus, qui *ab initio peccat x* veluti præficiatur, ac latus ſepiat, qui ex mera malevolentia, odio, invidia maximè innocentem, atque nominibus innumeris optimè de ſe meritum prodidit, & ad interitum pertraxit. Euthymius in ſtatu diaboli à dextris Judæ familiaritatem notat cum illo (contubernalem Theodoretus vocat) ſicut quum ſtatuentur juſti ad dexteram Chriſti Judicis: *y* aut ut eidem dexteras, ideſt, bonas operationes rapiat: quemadmodum ut idem faceret, atque adverſaretur Jeſu Sacerdoti, qui typus noſtri erat, ſtetiſſe ſcribi Zacharias *z* à dextris ejuſdem: Hugo ut juvet in opere quod Judæ, ac Judæis chariſſimum erat, ſicut dextera, nempe in proditione, & crucifixione Chriſti: Agellius ut ſtet veluti accuſator ante tribunal Dei, quemadmodum à dextris dicti Jeſu ſtabat. Leo *a* magnus, ut præcipitaret illum ad laqueum, & faceret, ut impietas ejus haberet ipſummet judicem, pateretur que ipſum pœna ſua carnificem, quia facinus ejus omnem menſuram ultionis exceſſerat. Euſebius *b* accipit de populo Judæo ſuper quem poſt ſcelera adverſus Salvatorem audaciſſimè commiſſa, *conſtitutus eſt Princeps peccator, & diabolus*, hoc eſt, qui diabolum, idolaq; coleret. Addit Rickelius, quoniam ut *introivit in Judam Satanas c*, & *immiſit in cor ejus, ut Chriſtum traderet d* (Chriſtus ipſummet *diabolum* nominavit. *e*) Ita Judæis diabolus præeſſe cenſeri poteſt, quoniam ejus voluntati ſerviunt, *& ex patre diabolo* videntur *f*. Valentia *Principem peccatorem*, cui ſubſunt Judæi, Gentilem, Saracenum, ſive Turcam, Rabbinos, atq; malos etiam Chriſtianos interpretatur; qui conniveant ad eorum ſcelera in damnum Chriſtianæ religionis, ut ab eis extorqueant munera, & tributa: *diabolum à dextris eorum*, quoniam ſicut ab ea parte motus incipit animalis, ita illi à diabolo aguntur, nihil operantes, niſi ſecundum avaritiam, odium, infidelitatem. Hugo tropologiam tradit de Prælato, cupido, avaro, ſtulto, pernicioſo. Attingit eamdem Rickelius, ſed prior pluribus pertractat. Unus Arnobius, non ille Auctor operis contra Gentiles, quoniam illius ævo nondum nata erat hæreſis de prædeſtinatione, cujus iſte mentionem facit in bonam partem locum hunc totum detorquet. Quod attinet ad præſentem verſum inducit loquentem Chriſtum: adverſum me conſtituit diſcipulum meum diabolus, adverſus eum conſtituatur diſcipulus ejus: & ſit perſecutor diaboli, qui perſecutor extiterat Chriſti: *Et ſtet diabolus à dextris ejus* ad confutandum, & convincendum, ideſt, ut confutetur, & convincatur. Exemplo Pauli confirmat, à cujus dextris diabolus ſteterit, ita ut eum judicans Paulus (quaſi reum, qui ſiſtitur ante tribunal) faceret exire à ſe condemnatum, & totam orationem, & conſilium ejus (quo ſe defendebat, alioſque offendebat) ſtatueret in peccatum (declarans nihil niſi peccatum continere.) Sequor tritiorem de Juda comprehenſiſquoque Judæis, ſententiam. Nec vero attinet immorari, ut doceam quo pacto in divinis litteris, juſtorum ſint execrationes, ac maledictiones accipiendæ. Inſumit in ea ſe homiliam ſuper hoc pſalmo Chryſoſtomus, aut quis alius nomen gerens illius. Bona diſtinctio Rickelii, de prophetica prænunciatione ſub forma imprecationis; de demonſtratione, quid impius mereatur, de zelo, quo ſe homo conformat divinæ juſtitiæ, mala imprecando ſecundùm ordinem illius, niſi pœniteat impium. Ultimo modo Jeremiam * precatum; *ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum non deleatur.* Lege Gregorium de Valentia *g* noſtrum. Ceterum ex tot, tamque gravibus minis, ac pœnis in Judam, & Judæos concipiant Chriſtiani mali metum, & majorem religioſi, ut Auguſtinus ratiocinatur *h*. Ut cetera, ſic pœnæ *in figura contingebant illis.*

n 1.Reg.16.14 o 1.Reg.19.10. cap.26.8 p in Pandec. hom.55 q Joan.11.49 r Mat.26.65 & ſeqq. ſ 2.Machab. 13.4.5 t pſal.15.8. u 1.Joan.3.8 x 1.Joan.3.8 y Matt.25.33.34 z cap.3.1 a ſerm.3. de Paſſ. b 10. de demonſtr. in 3 c Luca 22.3 d Joan.13.2 e cap.6.71 f cap.8.44 Tropologia * cap.18.23 g to. 3. diſp. 3.q.3. puncto 2. pag.133 h in pſal.68. Concil.2.

Conſtitue ſuper eum peccatorem.) Hieronymus, *conſtitue ſuper eum impium.* Id non ſine mendo eſt apud Fabrum,

brum, *conſtitues*, erratque propterea, dum cani vult pſalmum per indicativum modum, ut illud videtur incommodum, de quo monui in principio pſalmi. Nam verbum Hebr. הפקד *haphKed* eſt imperativi modi; & ſignificat *conſtituere præfectum, ſeu præficere præponere, curam imponere & commendare alteri, jubere ut animadvertat in aliquem, puniatque ſi ſit opus.* Unde פקיד *paKid*, *præfectus: præpoſitus*: & paullo poſt *epiſcopatum* [a verſ. 5] a *ejus accipiat alter* פקדתו *pekuddatho*. Aliqui b [b R. Abraham.] explicat poteſtatem animadvertendi in eum, ut ſit mors ejus in cujuſlibet poteſtate. Unde Campenſis quoque רשע *raſciahh* hoc loco *carnificem* interpretatur. In pſal. 16. c [c verſ. 13] quod legimus, *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam*, &c. vertit Hier. ex Hebr. מרשע חרבך *meraſciahh charbecha ab impio, qui gladius tuus eſt*. Placet magis quod judicatum dixi ab Agellio, Ribera autem noſter d prior magis diſertè docuerat, agens de Satana ſtante à dextris Jeſu ſacerdotis e, ſenſum eſſe, effice Domine ut diabolus ſit illo ſuperior in judicio, convincatque legitime eum debere damnari. [d in Zac. c. 3. num. 7. & 8] [e Zach. 3. 1] Inde exponit quod ſequitur, *& diabolus ſtet à dextris ejus*, ideſt occupet propiorem, & potiorem locum, habeat meliorem cauſſam, & jus vincendi: nihil habeat Jeſus, quo ſe protegat, ſed verè, ac legitimè accuſetur. Idem adhuc demonſtratur ſequenti alio hemiſtichio, *quum judicatur exeat condemnatus*. Nos ipſi priore tomo, & in commentario Actuum Apoſtolorum diſſeruimus de hac formula deque poſitione, ſeu ſitu, ſtatu, collocatione ad dexteram alterius, videlicet eam tribui protegenti alium, ſtipanti, tuenti, defendenti, ſi ſit amicus; ſin hoſtis, ut noceat velut inermi, ac intecto. Quare *conſtitui peccatorem ſuper alium*, erit loci ſuperioris, & commodioris opportunitate nocere poſſe, ſi militaliter loquimur; ſi judicialiter, prævalere cauſſa, & accuſatione. *Conſtituere legiſlatorem ſuper alios* in pſalmo 9. f [f verſ. 21] ſimilem vim habes. Ubi Græcum verbum eſt idipſum quod præſentis loci; quamvis Hebræum diverſum.

Et diabolus ſtet à dextris ejus.) Retinuit Hieron. Hebræam vocem *Satan*, de qua alibi dictum, ut & de voce *diaboli*, proximè quoq; ante indicavi quantum ſufficit quid ſit *ſtare à dextris*. [Cuique noſtrum Angelus à dextris cohæret.] Caſſianus g [g Col. 8. c. 17] colligit unicuiq; noſtrum cohærere Angelum non modo bonum, ſed malum quoq; Et hoc alio etiam loco diſputatum eſt. [Allegoria.] Ludit in allegoria creditus Hier. poſtquam Chriſtum crucifixit ſynagoga, impletum quod hìc dicitur, & *eſtare nunc à dextris ejus diabolum cum aliis ſeptem nequioribus h* [h Luc. 11. 26], atq; propterea *ſiccam habere manum* dexteram: i [i cap. 6. 6] orandum Deum ut ſtet à dextris noſtris, diabolus à ſiniſtris, quamvis hic *à dextris ſtet, ut adverſetur*, ſicut *à dextris k Jeſu* [k Zach. 3. 1]: ſtabat enim à dextris Judæ quia jam vicerat eum; ſed & quando *ablata ſunt ſordida veſtimenta ab eodem Jeſu*, dictum *Satanæ*, *increpet Dominus in te l* [ibid. 3. 4]. Hugo annotat diabolum eſſe à ſiniſtris, illis, quos perſequitur in temporalibus, à dextris quos in ſpiritualibus, ante faciem, qui verſutias ejus cavent; à tergo, qui non prævident; ſupra, quos conculcat, infra, & ſub pedibus, qui eum conculcant. Probat ſcripturarum teſtimoniis. Perpendit recens quidam m Auctor Hiſpano [m Petrus Vega in pſ. 6 pen. verſ. 4. diſp. 3 num. 10 & ſeq.] ſcribens idiomate pejorem reperiri neminem poſſe illo, qui ſtudioſè, deditaque opera noceat aliis loquendo doloſè, ſermonibus odii circumdando expugnando gratis, detrahendo, pro bonis reddendo mala, odiumque pro dilectione: idcircò hoc loco peti, ut conſtituatur peccator ſuper talem & diabolus à dextris ejus, quaſi videlicet adhuc inferiorem teneat ille, tamquam pejor, locum. Confirmat proverbio de Leriis malis, quod explanant tum Adagiophus, tùm Pierius n [n lib. 31. ex Strabon. l. 10], eſtque ſimile de Chiis & Britonibus; & quia honoratiorem locum cenſetur tenere, qui ſtat ad alterius dexteram. Ex his quæ ante ſubnotavi, & alibi fuſius, de collocatione ad dexteram, liquet non adeo probabilem eſſe illam conjecturam. Ex eo etiam quod ille Auctor dicit, ſequeretur potius oppoſitum, nempe diabolum, qui conſtituitur à dextris, digniorem eſſe, ut ita dicam, ideſt, inſigniorem in improbitate, quam ſit is, cujus à dextris conſtituitur. Melior alterius tropologia o [o Dier. tr. 3 concio. 3 de feſto SS. Innocent.], *ſtare a dextris diabolum*, quando vincit; quoniam è contrario cadere dicuntur *à latere mille*, nempe tentationes ex adverſis, *& decem millia à dextris p* [p Pſal. 90. 7], ideſt, ex proſperis.

Verſ. 7.) Quum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum.

[Senſus loci.] Trevetus de Saule ſic declarat; ut quum fuerit à Samuele judicatus quod violaverit Dei præceptum de interficiendo Amalech, & omnibus, quæ erant ejus, damnetur de inobedientia, & oratio, ſacrificiumque de oblationibus victimarum ab eodem Saule factum, imputetur ei ad peccatum q [q Reg. 15. 2. 23]. Baſilius, atq; Chryſ. innuunt eſſe ſermonem adverſus quemdam, qui ſacerdotio poſt reditum è Babylone inſidiaturus eſſet. Communis expoſitio eſt de Juda, in quem Chriſtus væ pronuntiavit, moxque quum panem intinctum eidem dediſſet, introivit Satanas in eum, & exivit de ſocietate Apoſtolorum: oratio autem & qua prodidit, & qua cohortem ad capiendum Chriſtum poſtulavit, & qua ſignum capturus Chriſtum dedit, & qua mox capiendum oſculando ſalutavit, facta eſt ipſi in peccatum. Præterea condemnavit ipſe ſe, relatis triginta argenteis, & alii viſi ſunt condemnationem hanc approbaviſſe, dicendo; *tu videris*: ſed & *oratio*, ſeu *votum* illius fuit *in peccatum*, ideſt, aberravit ab eo, quod intendebat, ut Chriſtus, ac nomen ejus deleretur r [r Euthy.]. Item oratio iſta eſt, qua ſe peccatorem agnovit, ſed deſperando, ita ut in ipſamet morte tulerit à Deo ſententiam damnationis, nec eum tunc, ſaltem ut oportebat, oraverit; ſed forſan potius diabolum, qui laqueum perſuaſit: non etiam ſine peccato petierit ſibi dimitti peccata, ſicut dimittebat aliis quia beneficiorum omnium tradebat Auctorem ſ [ſ Caſſiod.]. Videtur Theodoretus *orationem* ſumere tum pro omni ſermone, quo ſe vellet fruſtra excuſare, tum pro colloquio divino, quo abuſus erat, quum tamdiu eo perfruitus antea eſſet; Auguſt. explicat, quia non potuit orare per eum, quem vendiderat: oratio autem, quæ non eſt per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit ad peccatum. [Oratio, quæ non eſt per Chriſtum fit ad peccatum.] Conveniunt eadem Judæis, nolentibus in Chriſtum credere: exeunt enim ex hac vita condemnati ad æternam mortem: quumq; non orent Patrem per Filium, quia neutrum norunt: & poſtulent adventum Antichriſti, quem pro Chriſto recepturos prædixit Chriſtus t [t Joan. 5. 43], Chriſtianorum vero excidium illis quotidie imprecando, ut ait Hugo, & ante ipſum teſtatur Hier. u [u in Eſa. c. 49. & 52. & in Amos c. 1], id factitare in Synagogis ter in die, *Nazarenos* vocando per ludibrium, fit eos oratio ipſorum in peccatum. Sunt item illis mortifera omnia Sacramenta & ceremoniæ legis veteris, & dum uſurpant maledictiones contra crucifixores, quæ continentur in pſalmo hoc, in 21. 34. 68. & aliis in Scripturis, indicant, condemnant, maledicunt ſeipſos, ut ait Valentia. Arnobius pergens interpretari ſenſum in bonam partem, ait *ſtetiſſe diabolum à dextris* Pauli, ita ut judicans eum Paulus faceret exire eum à ſe condemnatum, & totam orationem, & conſilium ejus ſtatueret in peccatum.

Quum judicatur exeat condemnatus.) Indicant hæc formam judicii, ac reum ante tribunal conſtitutum, & ante accuſatorem, qui prævaleat, quiq; antea vocatus eſt peccator, nimirum ſævus, & diabolus, ideſt, architectus calumniarum; in eo autem judicio, damnationis reportantem ſententiam, ita ut nihil orando, ac deprecando proficiat, nec flectere Judicem queat, ſed potius exaſperet, perinde ac ſi ipſamet oratio peccatum eſſet, vel quia moraliter mala, vel quia ad impetrandum non idonea: peccatum namq; dicitur id etiam, quo aberratur à fine propoſitio, & ab eo quod intenditur Hebraicè, *exeat impius* רשע *raſciahh, impietatis damnatus*. Significat idem nomen *reum mortis* ἔνοχον θανάτου & *reprobum* ἀδόκιμον. Sermo poteſt eſſe de qualibet cauſſa tum civili, tum criminali, & capitali, ut quoties iſte litem intendet, aut contra ipſam alius, cauſſa cadat, ſine remiſſione, atq; commiſeratione condemnetur, ſalvo tamen jure, juſtitiaq; ſed exacta, rigida ſevera, ut locus τῇ ἐπιεικείᾳ, æquitatique ſit nullus. Hoc namque meretur tanta ejuſdem in alios crudelitas antea deſcripta, & ut *qua menſura menſus eſt, remetiatur ei x* [x Matt. 7. 2.], atque *judicium* experiatur *ſine miſericordia, qui non fecit miſericordiam y* [y Jacob. 2. 13], & *in quo judicio judicavit, judicetur z* [z Matt. 7. 2]. *Exeundi* verbum involuit objectionem, & quaſi miſſionem ad ſupplicium.

Et oratio ejus fiat in peccatum.) Chald. *ad condemnationem* לחובתא *lechouetha*. Eſt ferè ſynonymum hoc membrum præcedenti, quatenus, non obſtante oratione, damnandus dicitur tamquam peccator, & perinde ac ſi augeret potius oratio culpam, atque concitaret magis Judicis

dicis indignationem. Quamvis autem in uberiore paraphraſi poluerim *orationem*, ut accipiatur etiam pro *ſermone*, atq; ut Lyranus, Ayguanus, Rickelius volunt juxta etymon pro *oris ratione*, & non tantum pro *deprecatione*, tamen propriè hanc ſignificat ſolum προσευχή, & תפלה *thephilla*. [Orationis etymon.] Quare melius intelligitur de oratione Judæ, qua vel oravit pro proditionis complemento, vel qua præ ſe tulit pœnitentiam. [Judas Dominum magis oſtendit ſe ſuſpendendo quã illum tradendo.] Secundum tradit creditus Hier. dicens magis oſtendiſſe Dominum, quia ſe ſuſpendit, quam quia illum prodidit. Verus etiam Hier. a de eadem falſa pœnitentia Judæ præſentem uſurpat locum; & hoc eſſe *abundantiori triſtitia abſorberi b*: item Leo c. [a in Mat. c. 27. & refertur, de pœni. d. 3. cap. Nihil Juda. Idem in Eſ. cap. 28] [b 2. Cor. 2. 7.] [c ſerm. 5. de paſſ.] Cajetanus hoc loco, ſicut membrum præcedens explicat, quando judicatus judicio diſcretionis, dicente Chriſto, *Quod facis, fac citius*, exivit Judas de conſortio Apoſtolico d [d Joan. 13. 27] ita hoc declarat de immolatione agni Paſchalis, quæ imputata eſt ei ad peccatum, ob malam mentem immolantis. Multo magis dicere id potuit de Euchariſtia, quam à Juda ſumtam multi ſentiunt. Addunt aliqui montem Oliveti, hortumque qui Judæ non profuerit, ſed obfuerit, etiamſi locus eſſet orationis cauſſa frequentatus à Chriſto cum diſcipulis, eidemque Judæ bene notus. Scribens Ambroſius e [e l. de Abel, & Cain. c. 9.] de ſermonis vitiis, ac deſcendens ad orationem precatoriam, nominans cum Symbolo, Dominicam orationem, cavenſq; ne incautè eorum divulgemus myſteria: An, inquit, neſcis quam grave ſit oratione contrahere peccatum, ubi ſperas remedium? Certè Dominus per Prophetam docuit hoc grave eſſe maledictum, dicens, *& oratio ejus fiat in peccatum*. Gregorius f [f hom. 27. in Evang.] docens orationem ſalutarem eſſe, petere in nomine Jeſu, quæque conferant ad ſalutem, non nimie externa bona, ut uxorem, villam, veſtem, alimentum, ſed multo minus, immo nullo modo, mortem inimici; ait hanc præcipuè *orationem fieri in peccatum*; quando nimirum illa petuntur, quæ prohibet ipſe, qui petitur. Subdit nec Moyſem, nec Samuelem exaudire Deum velle ſe proteſtatum eſſe g [g Jer. 15. 1], qui maximè videbantur exaudiendi, eo quod pro inimicis exoraverant. Nil pejus, quam quum nec aliena, nec propria prodeſſe oratio valet, atq; *ipſas oves ignis* iræ divinæ *conſumſit h* [h Job 1. 16], hoc eſt, viſus eſt ipſum placandi eum remedium negaviſſe, quoniã *victima impiorum abominabilis*; i [i Prov. 15. 8] ita ut *non ſit amplius ſalus in Deo noſtro k* [k pſal. 3. 3]. Definit orationem Damaſcenus l [l lib. 3. c. 24] non tantum aſcenſionem mentis in Deum, ſicut & Auguſt. m [m ſerm. 230 de temp. & l. de ſpiritu, & anima c. 50] ratione ſimili, ſed petitionem quoq; decentium Deo. [Orationis definitio.] Nam execratio eſt, non oratio aliquid à Deo mali petere, aut male aliquid boni, ſine debita fide, perſeverantia, conditionibus aliis; Baſilius n [n orat. in Julittam.] præterea boni cujuſdam petitionem ait eſſe, quæ ad Deum à piis fundatur. Ubi ſumit pios pro quibuſcumq; fidelibus, aut qui ex affectu pietatis petat, quamvis alioqui ſint peccatores. Ita quoq; Baſilii frater Nyſſenus o [o lib. de orat.] deſcripſit orationem eſſe petitionem bonorum, quæ DEO quum ſupplicatione offertur. Is qui dicitur Hieron. hoc loco docet, licet oret Judæus, Manichæus, quivis hæreticis, tamen verti orationem ipſorum in peccatum. Non eſt hoc abſolutè verum, ſicut nec omnia talium opera eſſe peccata niſi ex mala, & perverſa procedant opinione, vel affectu in Deum, quod attinet ad actum orationis, quem eliciunt. Nam licet circa eumdem Deum errent in aliis, poſſunt non errare, ac nihil falſum profiteri, per orationem in ea opinione Dei, quam ſupponunt ad orandum, & non tribuere cultum illum alteri, quam vero Deo: & poſſunt alioqui quæ decent, ut decet petere. Hujuſmodi tamen actus minimè ſecundum ſe malus, ſed bonus, non erit entitativè, ut loquuntur, ſupernaturalis, quia non fundatus in fide, verum ex genere ſuo acquiſitus dici debebit cui non repugnat fieri abſq; ſpeciali auxilio gratiæ. Videtur talem orationem appellaviſſe Concilium Arauſicanum p [p Cant. 3. & 6.] ſecundum, ut notavit Suarez noſter q [q tom. 1. de Relig. l. 1 c. 8], *invocationem humanam*. De qua Semipelagiani loquentes errabant, quum illi tribuebant initium fidei, ſalutis, gratiæ. Nec diſpoſitionis quidem ad ſalutem hæc oratio rationem habet, ſed tantum quæ fit ex auxilio gratiæ, quum pro ſe peccator petit, & neceſſaria ſaluti & piè, & perſeveranter, ut B. Thomas [r 2. 2. q. 83. ar. 16. in cor. & q. 178. ar. 2. ad 1] docet: deniq; quum non petit quatenus peccator, *cujus oratio* ſub hac ratione *execrabilis eſt ſ* [ſ Prov. 28. 9], & *non exauditur t* [t Joan. 9. 31], ac *ne intrat quidem in conſpectu Dei u* [u pſal. 87. 2], ſed *excluditur x* [x Thren. 3. 8], Deo illam obturante, ſeu vias, ne aſcendat, & aures, ne pulſet, ac penetret eas. Vide quæ ad pſalmum 65. y [y verſ. 18] dixi, *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Hier. z [z in Abac. 2], illam Abacuc a [a cap. 2. 17] ſententiam explanas, *iniquitas Libani operiet te*, eam confirmat præſenti ſententia, ut Libanus quidem juxta Græcum ſermonem ὁμώνυμος ſit thuri, thus autem σύμβολον ſpiritualis thymiamatis, quod eſt cultus Dei, & ſignificat hæreticorum perverſam orationem, & non Evangelica ſimplicitate directam, quæ eis vertatur in peccatum, & impietas cultus Dei operiat eos. Gregorius Papa b [b d. 81. cap. Si qui ſunt.] VII. vetans ingreſſum Eccleſiæ Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis in crimine fornicationis jacentibus, uſq; dum pœniteant, & emendent, illorum officium, quamdiu in eo ſtatu perſeverant, audiri prohibet, quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, teſtante etiam Domino c [c Malach. 2. 2.], *Maledicam benedictionibus veſtris*. Tandem Hugo colligit cauſſas quinq; propter quas *oratio fiat in peccatum*, irrationabilitatem petentis, impatientiam, infidelitatem, indignitatem, negligentiam. In eodem loco Chriſtus oravit ſub mortem, diſcipuli quidam dormiverunt, Judas, qui locum optimè noverat, Chriſtum comprehenſoribus tradidit. *Lætificat ſuos Deus in Domino orationis d* [d Eſa. 56]. Sed ſunt nonnulli intra ſanctam Eccleſiam, quæ verus locus orationis eſt, ait Gregorius e [e 33. mor. c. 4], qui prolixas ad Dominum preces habent, ſed vitam deprecantium non habent: nam promiſſa cœleſtia petitionibus ſequuntur, operibus fugiunt.

Verſ. 8.) Fiant dies ejus pauci, & epiſcopatum ejus accipiat alter.

[Senſus loci.] De Saule Trevetus declarat, qui ex vivis citius, quã naturaliter debuiſſet, ſublatus eſt, atq; ipſius epiſcopatui, hoc eſt, auctoritati, gubernationi, præfecturæ, regno, ſucceſſit alter, nimirum David: dici namq; *epiſcopatum* ſecundum proprietatem vocabuli, ab ἐπὶ, & σκοπεῖν, de ſuperintendente aliis, ſive de habente ſuperiorem auctoritatem: curamq; quamvis ſecundum uſum noſtrum exprimat dignitatem ſacerdotalem, [Epiſcopatu etymon.] Sanctus Petrus in actibus Apoſtolorum f [f cap. 1. 20] de Juda locum iſtum diſertè protulit, ut perſuaderet debuiſſe pro illo alium ſubſtitui. [Judæ apoſtolatum accepit Matthias.] Dies Judæ pauci facti ſunt, & in apoſtolatu, & in vita, & poſt commiſſum peccatum, illius vero epiſcopatum, ideſt, apoſtolatum, accepit Matthias, revera alter vita, moribuſq; ac fortaſſis familia, familiaritate, affinitate, amicitia. De regno quoq; Judæorum, non de Juda tantum intellexit Auguſt. quia non diu poſt interfectionem Chriſti perſeveravit, & *epiſcopatum ejus*, hoc eſt, Chriſtum de Tribu Juda factum ſecundum carnem, accepit alter, ideſt, populus gentium, quis tandem non obſtupeſcat, aut Euſebius g [g 10. de dem. monſtr. in 3], ipſius prædictionis eventum? Nam quum oraculum dixerit, *Fiant dies ejus pauci*, conſtat planè, quam breve poſt ſtructas adverſus Salvatorem noſtrum à Judæis inſidias, omne fuerit tempus, quo manere viſi ſunt. Poſt quod tempus noviſſimam, extremumque interitum paſſi ſunt; ex quo etiam *epiſcopatum eorum accepit alter*, conditus videlicet per Chriſtum novus populus. Valentia item exponit de Judæis deletis, ac trucidatis poſt annos quadraginta à Chriſti morte, ſacerdotium autem tranſlatum eſt ad Chriſtianos: Judam, quem ipſo die, quo intellexit reſurrexiſſe Chriſtum, vult laqueo ſibimet vitam eripuiſſe, geſſiſſe populi Judæi typum, & populi Gentilis Matthiam loco Judæ ſubſtitutum. De Juda, & præſenti loco repetat qui optat quæ in Actuum Apoſtolorum dixi commentario. Arnobius in allegoria illa ſua dicit Paulum feciſſe diaboli dies paucos, qui Paulo in Gentibus prædicante, ille non multo tempore obtinuit principatum in templis, tum ceſſavit princeps eſſe ſuper Gentes, & magiſterium accepit ille, qui dicebat h, *Ego ſum magiſter Gentium, in fide, & veritate*? [h 2. Tim. 1. 11] ille enim fuerit magiſter Gentium in infidelitate, & fallacia.

Fiant dies ejus pauci.) Chald. *veloces* ſive *celeres*, קלילין *kallilin*. De hac impii pœna, ut *moriatur tempore non ſuo* i [i Eccleſiaſtæ 7. 18], *non prolongentur dies ejus* k [k cap. 8. 13.], *non dimidiet dies* l [l pſal. 54. 14], *brevientur dies ipſius m* [m Pr. 10. 17], qui ſunt cuivis mortali breves n [n Job 14. 5], quantumlibet macrobios videatur, & menſurabiles o [o pſal. 38. 6], ſeu dodrantales, egimus non ſemel alias. Quod Hugo diſcrimen affert, ut malorum dies pauci ſunt, bonorum parvi, & multi, quoniam ſuos Jacob p [p Gen. 47. 9] *parvos* appellavit, & Zacharias q [q cap. 4. 10] ita quoque loquitur, & juſtus Abraham ſcribitur *mortuus plenus dierum r* [r Geneſ. 15. 8], & alius *explevisſet tempora multa ſ* [ſ Sap. 4. 13], parum congruit. Nam in Geneſi *dies pauci* dicuntur eodem epitheto Hebræo, quo hic מעט *mehhat*. Idem Auctor,

Auctor, & poſt eum Rickelius, hanc vitæ brevitatem optant Prælato malo, qui tres annos expectatus non tulit fructum *a*, paſcendi gregem, verbo, exemplo, temporali ſubſidio.

a Luc. 13. 7

Et Epiſcopatum ejus accipiat alter.) Alii, *præfecturam, munus, functionem, præpoſituram, officium, dominium, curam viſitandi*, &c. Chald. *numerum annorum ejus hæreditate acquirat alius*. Habet hoc affinitatem cum priore membro, ſed non cum *epiſcopatu*, & פקודה *peKudah*. Dixi de voce *epiſcopatus*, & de Hebræa פקודה *peKudah*, in commentario Actuum Apoſtolorum *b*. Affert hic præter ea, quæ ibi attuli, Bochius Herodianum, qui vocat Jovem μάρτυρα, καὶ ἐπίσκοπον τῶν πραττομένων, *teſtem, & inſpectorem eorum, quæ geruntur*. Hæc eſt notio τοῦ ἐπισκόπου, juxta quam Homerus *c* Hectorem vocat *Epiſcopum arcis Trojanæ*. Immò Gregor. *d* Georgium quemdam nominat *Epiſcopum Italiæ*, ideſt, Præfectum; quod nomen loco illius editio Romana repoſuit; ſeu, ut hoc loco magis propriè Caſſiod. interpretatur, pro ſuperinſpectore. Ait etiam, non tam honoris, quam oneris eſſe. Onus, id laboremq; exprimeret magis, ſi ἐπίσκοπος ἀπὸ τοῦ κόπου derivaretur. Non hinc, ut voluit Ayguanus, ſed tantum ab ἐπὶ & σκοπεῖν petitur etymologia. Quamvis concedamus epiſcopalem dignitatem pro Juriſdictione ordinaria cum ſummi ſacerdotii honore collatam Apoſtolis non eſſe, niſi poſt reſurrectionem; ſed poteſtatem dumtaxat annuntiandi Evangelium; præterea licet nomen *Epiſcopi* in novo etiam teſtamento nonnumquam tributum legatur ſimplicibus presbyteris; ut citato loco notavimus: non ſequitur quod Janſſonius infert in ea hic acceptione ſumi nomen *Epiſcopatus*, nempe abſq; dicta juriſdictione, & ſummi ſacerdotii honore. Nam Judas hunc ipſum honorem, atq; juriſdictionem ſi non prodiiſſet Chriſtum, vel ſi ipſum pœnituiſſet, obtinuiſſet cum aliis Apoſtolis, quemadmodum & Matthiam accepiſſe certum eſt poſt aſcenſionem Chriſti, loco illius. Quocirca Apoſtolatum, epiſcopatumq; ejus accepit alter, eo ſcilicet modo, quo habiturus ille erat ſi deſperando, laqueo ſe non ſuſpendiſſe, ſed per pœnitentiam in gratiam Chriſti rediiſſet. Rectè Tertull. *e* appellans (duodecim præcipuos quos Chriſtus lateri ſuo adlegerat deſtinatos nationibus magiſtros ſcribit, uno decuſſo, reliquos undecim regredientem Chriſtum ad Patrem poſt reſurrectionem, juſſiſſe ire & docere nationes tinguendas in Patrem, & in Filium, & in Spiritum ſanctum: ſtatim vero Apoſtolos (quos hæc, inquit, appellatio miſſos interpretatur) aſſumto per ſortem duodecimo Matthia in locum Judæ, & auctoritate prophetiæ, quæ eſt in pſalmo David, nempe in iſto, conſecutos promiſſam vim Spiritus ſancti ad virtutes, & eloquium, &c.) commentum circa paſſionem Æſonis duodecimi, quod Salvatoris paſſio à duodecimo Apoſtolorum facta ſit. Irenæum *f* lege, qui ex ſubrogatione Matthiæ argumentatur prædicta hoc loco. Repeto libens quod in citato poſui commentario modeſtiæ, ac timoris divini monitum, ut *qui ſtat, videat ne cadat g*; audiatque: *Ecce venio cito: tene quod habes: ut nemo accipiat coronam tuam h*, Hier. nomine notatus admonet: ſi ipſe Judas Apoſtolatum perdidit, cuſtodiant ſe ſacerdotes, & Epiſcopi, ut non & ipſi ſuum ſacerdotium perdant: ſi Apoſtolus cecidit, facilius monachus poteſt cadere. Differit Grevæus *l* de Epiſcopatu ſpirituali, quo ratio ſenſualitati dominatur, regit populum, cogit affectionem, & plebem operationum quinq; ſenſuum, domui ſuæ conſcientiæ præeſt, filios habet ſubditos rectarum cogitationum, purarum affectionum, bonorum operum: Clericos ordinat, deputando contemplativas cogitationes ad ſortem Dei electas, & ſeparatas divinis officiis, laudibuſque, ut incommutabili veritati inhæreant: nec implicat ſæcularibus negotiis: Virgines conſecrat caſtas affectiones amplexibus bonitatis divinæ ſociando: parvulos confirmat roborando certitudine propoſiti cogitationes, & affectiones adhuc infirmas per Spiritum ſanctum: coercet cenſuris, verbi gratia ſuſpendendo ſenſus, quum peccandi præbent occaſionem; ab officio, & beneficio, deponendo ſenſualitatem, ſi temerè aſcendat cathedram rationis, &c. Auguſt. *k* quidem unumquemque patrem familias familiæ, ac domus ſuæ cenſeri Epiſcopum poſſe ſcribit, ac Epiſcopale officium exercere. Euſebius *l* quoque non dubitat appellare Conſtantinum quaſi communem Epiſcopum à Deo conſtitutum. Ex vocabulo *Epiſcopi* colligitur, eo indignum eſſe qui non reſidet in diœceſi, quia nemo abſens ſpeculari, conſiderare, inſpicere, ſuperintendere, vigilare, excubias agere poteſt. Legendus idem Auguſt. *m* de Epiſcopi etymologia & officio, Gregorius *n* quoque, Hier. *o* Iſidorus *. Interpretatio quorumdam Hebræorum nominis פקודה *peKudah* pro *uxore*, faveret quidem officio Epiſcopali, & Epiſcopatui, quod nomine *uxoris*, ac *ſponſæ* paſſim nunc vocatur, & per ἀλλοτριοεπίσκοπος in epiſt. Petri, *p* ubi *alienorum appetitor* ab interprete redditur, à Tertulliano *q*, *alieni ſpeculator*. Thomas Anglicus adulterum intelligit. Sed illius notionis exemplum nullum extat, & de alio vocabulo Græco docui explanans Petrum *r* ab aliis exponi *alienam procurationem ſibi ſumentem, curas alienas agentem*.

b in c. 1. 20 — *Epiſcopi notio.* — *c Iliad. ult.* — *d lib. 1. ep. 22* — *e de præſcr. cap. 30.* — *f lib. 2. c. 36* — *g 1. Cor. 10. 12* — *h Apoc. 3. 11* — *l ſerm. 232* — *k tract. 51. in Joan.* — *l 1. de vita Conſt. c. 57* — Epiſcopatu indignus qui non reſidet in diœceſi. — *m 19. de civ. c. 11. ep. 31. & lib. 31. cont. Fauſt. cap. 10* — *n lib. 6. ep. ad Cyriac.* — *o Ec. ad Evag.* — *3. ſent. 6. 35* — *p 1. ep. 4. 15* — *q in Scorp. 6. 12* — *r in 1. Pet. 4*

Verſ. 9.) Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.

B

Sensus loci.

POſſent videri dies Judæ pauci in Epiſcopatu; ita ut vita durante, ad aliquam pœnam damnaretur. Exprimit mortem ſe corporalem intellexiſſe, per quam filii, ſi quos habet, orphani, uxor, ſi ſupererat, vidua fieret. Laqueo ſe ſuſpendit eo ipſo die, quo tradidit Chriſtum, vel brevi poſt. Quod ſi nec filios, nec uxorem habebat Judas, quoniam quæ circumfertur de illo hiſtoria indicata à me in Actibus Apoſtolorum, & hoc loco approbata à Lyrano, Ayguano, Rickelio, Ludolpho, Turrecremata, faventq; Caſſiod. Auguſt. Haimo, & alicubi Chryſoſt. *ſ*, quod ſcilicet ſuffuraretur datam Chriſto pecuniam pro liberis, & uxore, & hi propter lucrum, conſentirent proditioni, non eſt magnæ fidei; pertinebit imprecatio ad alios Judæos in excidio Jeroſolymitano. Hi ipſi poſſunt haberi filii Judæ, quoniam facinus illius approbaverunt: ſed & quibus deinceps idem placuit; quouſq; attigit & attingit hodieq; ea maledictio; *ſanguis t ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Orphani facti* cenſentur primi illi, qui veluti patrem ſectati ſunt Judam; cumque confeſtim amiſerunt, ſeſe laqueo præfocantem.

C

Uxor ſynagoga erat illa potiſſimum, quæ dum Judas viveret, exiſtebat & hi quibuſcum proditionem tranſegit, & à quibus quaſi dotis nomine, denarios accepit: orphanos amiſſo regno Judæos Auguſt. exponit, & ſimul Deo: tamquam patre, quia *qui Filium non habet, nec patrem habet:* * Uxorem plebem regni, cui ſubditæ, Reges dominantur: & Beda civitatem quoque Jeroſolymitanam. Hæc eadem in Saule interfecto impleta Trevetus agnoſcit. Qui autem univerſè ad ingratos referunt vel ad illos, qui ſacerdotium ſummum invaſerunt, tempore Machabæorum, ut prius memini, nolunt re ipſa ſic eveniſſe quæ hic ſcribuntur, ſed quæ mala tales pati digni ſint, deſcribi. Videtur Euthy. Chryſ. conſentire de Juda ſermonem non eſſe, quoniam de uxore ac filiis ejus ſacra hiſtoria nobis nihil tradit, ſed de alio quodam, qui poſt reditum populi è Babylone, ſacerdotium invadere conatus eſt; in quo iſta omnia manifeſtè adimpleta tradantur. Filiorum pœna eſſe poteſt orbari patre, & uxoris marito, non tantum patris, & mariti qui occiditur; atque hic ipſe etiam mortuus, ſi in damnatorum ſtatu eſt, ex amiſſione ſuorum, & ex pœna quàm illi relicti ſentiunt: pœnam nonnullam experiri poteſt. Exemplo eſt *dives in inferno ſepultus* de ſuis fratribus loquens *u*, quo utitur Auguſtinus hoc loco. Qui tandem ſic quæſtionem perplexam definit, ſi hæc ſuorum ſuperſtitum mala ſentiunt, formidinem vivorum eſſe. Certè ſi non pœna ſenſus, damni aliqua pœna eſt defunctis adverſitas poſterorum, & amicorum, ut Philoſophus *x* docet. Iſidorus *y* etiam confirmat iſto pſalmi teſtimonio, & dicti divitis exemplo, de charorum ſuorum ſuppliciis addi pœnam defunctis. Arnobius allegoricè in bono ſenſu *factos orphanos* accipit, qui de patre diabolo erant, ejecto incredulitatis Rege: *& factam uxorem* diaboli *viduam*, quia ſicut uni viro deſponſata Eccleſia per fidem ſic per infidelitatem non ſponſa, ſed uxor eſt poteſtas incredulitatis, quæ dabat Pontificium (ideſt poteſtatem) dominandi ſacerdotibus templorum, ſive ſynagogæ, ſeu hæreticorum Eccleſiis: hanc poteſtatem dejecto diabolo, effici viduam. Hugonis alia allegoria eſt; *filios* Prælatorum eſſe ſubditos, *uxorem* Eccleſiam: melius eſſe iſtis filiis, ut ſint orphani, & uxori ut ſit vidua, quam ut malum prælatum habeant. Item *filios* cujuslibet hominis eſſe opera ejus, *uxorem*, animam: *Dominum* principalem patrem, ac ſponſum: *orphanos*; quando

D

ſ tr. quod Chriſtus ſit Deus. — *t Mat. 27. 25* — * *Joan. 2. 21* — De uxore, & filiis Judæ in ſcriptura nihil traditur. — *u Luc. c. 16. 27. 28* — Defunctis adverſitas poſterorum quædam eſt damni. — *x 1. Eth. c. 11* — *y 1. Sent. c. 29* — Allegoria 1 — Senſus allegoricus.

non ſunt Dei opera; *viduam*, quum anima ſeparatur per peccatum à Deo.

A

Fiant filii ejus orphani.) Hier. *pupilli*. Synonymo ſumuntur apud Latinos hæc nomina non raro; quamvis propriè *orphani* dicantur qui carent patre, paternoq; præſidio; *pupilli* qui tutore juvantur; *Orbi* ſunt utroque parente carentes. Qua voce abutuntur hìc aliqui; quoniam ſuperſtes mater eſt, nempe vidua relicta. Lege pſalmum 9. *a* 67. *b* 93. *c* Lamentatur Jeremias *d*; *pupilli facti ſumus abſque patre; matres noſtræ quaſi viduæ*, hoc eſt, perinde erat ac ſi mortuus eſſet pater noſter, ſive qui genuerat, & abactus erat, ſive Deus qui non protegebat.

Et uxor ejus vidua.) Virorum mortem hac periphraſi, ut & cædem, per id quod eſt viduam facere, ſcriptura ſolet ſignificare *e*. Citatis aliis pſalmis & in commentario Actuum Apoſtolorum egi de cura orphanorum, & viduarum.

a verſ. 14. 18 — *b verſ. 6.* — *c verſ. 6* — *d Thren. 5. 3* — *e Jer. 15. 8. c. 18. 21. Ezec. 19. 7. c. 22. 25*

B

Verſ. 10.) Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus ſuis.

Senſus loci.

SEquuntur miſeriæ, calamitateſq; filiorum, vel Judæ proditoris, vel Judæorum qui ſunt imitati Judam. Præſenti verſu imprecatio eſt, ac prædictio, Judæ filios, ſeu ceteros Judæos, qui ſuperfuerint internecioni à Romanis faciendæ inſtabiles futuros, & vagando per alienas regiones mendicaturos; ita ut non ſolum ejiciantur de domibus integris, quoniam Jeruſalem evertenda erat ac diruenda; ſed nec in ruinis, ſeu in parietinis ruinoſis earum. Edicto quoq; imperiali prohibiti ſunt infelices Judæi ad veteres, & disjectas ruinas propius accedere: *f* ex quibus Ælius Adrianus inſtauratam urbem Æliam denominavit. Impletum hoc exſecratorium vaticinium Trevetus ait in Saulis filiis; quando propter domum illius *facta eſt fames tribus annis g*; & quum à Gabaonitis poſtulati ſunt ad mortem, *ſeptem viri de familia ejuſdem*. *h*

C

Nutantes transferantur filii ejus.) Hier. *inſtabiles vagentur*. In Romano Pſalterio, & apud Caſſiod. Ambroſ. *i*, Nicolaum Papam *k*. I. *commoti amoveantur*, apud Iſidorum *l*, *commotione moveantur*, Martinum Papam *m* I. *commoti transferantur*. Typum iſtorum Deicidarum Cain fratricida *vagus, & profugus n fuit*, ut in pſalmo 58. cum Auguſt. diximus, plura de hac Judæorum diſperſione differentes. Citatus Ambroſ. demonſtrat impiorum eſſe labi, commoveri, de integritatis, & innocentiæ quadam ſtatione deflectere, mobiles eſſe, lubricos ad delinquendum, faciles ad errandum: *Judæos tranſeundo, ac blaſphemando Chriſtum, moviſſe capita ſua o*. Tandem aliis multis interjectis in eamdem ſententiam, quæ nos alibi recitavimus, ait commotos filios proditoris, ut hoc loco habetur. Non debet omitti, quod oculatus teſtis prodit Hier. *p*, de deplorato à Judæis exilio ſuo. (Uſque ad præſentem diem perfidi coloni poſt interfectionem ſervorum, & ad extremum filii Dei (alludit ad parabolam de vinea *q*) excepto planctu prohibentur ingredi Jeruſalem: & ut ruinam ſuæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant ſanguinem Chriſti emant lacrymas ſuas. Videas in die quo capta eſt à Romanis, & diruta Jeruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis, anniſque obſitos, & in corporibus, & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes. Congregatur turba miſerorum, & patibulo Domini coruſcante, & radiante ἀναστάσει ejus; de Oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi ſui populum miſerum; & tamen non eſſe miſerabilem. Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & ſparſi crines, & miles mercedem poſtulat, ut illis flere plus liceat, &c. Ululant ſuper cineres ſanctuarii, & ſuper altare deſtructum, & ſuper civitates quondam munitas, & ſuper excelſos quondam angulos templi, de quibus quondam Jacobum fratrem Domini præcipitaverunt.) Contra eoſdem Prudentius *r* ita cecinit

—— extirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur
Exiliis vagus, huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam patria de ſede reverſus
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.

f Cyprian. de idol. vanit. Hier. in Eſa. 6. & in Sophon. c. 1. Euſeb. 4. hiſt. cap. 6. Tertull. cap. 11 contr. Judæ. Apolog. c. 21 — *g 2. Reg. 21. 1* — *h 1. Reg. 4. 21. 6* — *i in Pſal. 61* — *k d. 21. c. 1. 5. Quiſquis.* — *l 1. Sent. c. 19* — *m in Syno. Latera ſecreta. 4* — *n Gen. 4. 11* — *o Matth. 27. 39. pſ. 21. 8* — *p in Soph. c. 1* — *q Matt. 23. 38. 39* — *r in apotheoſ.*

A

Tertull. *ſ* vero de re eadem ſcribit. (Sed quanta deliquerint, fiducia Patrum inflati ad declinandum, derivantes à diſciplina in profanum modum, & ſi ipſi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipſorum: diſperſi, palabundi, & cœli, & ſoli ſui extorres, vagantur per Orbem ſine homine, ſine Deo, Rege: quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur.) Objiciebat hoc etiam Celſus Judæis, Chriſtianos illis adjungens, quem quod attinet ad Chriſtianos, refutat Origenes *t*. Verè *vita eorum quaſi pendens eſt ante illos, timetque die, ac nocte, & non credunt vitæ ſuæ*, *u* quoniam, ut ait Auguſt. *x*, inter minas, & dolos hoſtium ſuorum, vitam ſuam vident ex incerto pendere. Quamvis idem Doctor contendat de Chriſto etiam crucifixo locum intelligi, quo item pacto Leo *y* intellexit, & alii. Ipſo letho pejus exilium, præſertim cum mendicitate conjunctum, quod mox hìc adjungitur. Medea quidem certè poſt alias diras huc recidit,

z Mihi pejus aliquod quod precer ſponſo malum,
Vivat: per urbes erret ignotas egens,
Exul, pavens, inviſus, incerti laris

B

Etenim eſt,

a Trepidi comes exilii
Triſtis egeſtas.

Item nihil dirius imprecari ſe poſſe exiſtimavit, qui ſic eſt imprecatus,

b Exul, inops, erres, alienaque limina luſtres,

Juſtinus *c* demum; (has vobis, ait, diras, atque inferias dico, ut inopes, extorreſque omne ævum in hoc caſtrenſi exilio agatis.) Sed & Euripides *d* hoc pronuntiat.

τί τὸ στέρεσθαι πατρίδος, ἦ κακὸν μέγα,
μέγιστον. ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον, ἢ λόγῳ.
Et quid? carere patria, magnum eſt malum.
Vel maximum, & re gravius eſt, quam dicitur.

Item Theognis.

οὐδείς τοι φεύγοντι φίλος, καὶ πιστὸς ἑταῖρος,
τῆς δὲ φυγῆς ἐστὶ τοῦτ' ἀνιηρότερον.
Nemo profecto exulis amicus, & fidelis ſodalis eſt
Quod ipſum exilio acerbius eſt.

C

Multa diſputant Philoſophi, maximè Seneca *e* de conſolatione exilii, etiamſi exules paupertas, contemtuſq; comitetur. Computat quidem ſapiens hanc vitam exilium, ſed non fluctuat, converſationem habens in permanente civitate cœleſti. *Eſt impius quaſi tempeſtas tranſiens, juſtus quaſi fundamentum ſempiternum f*, non dat illi Deus in æternum fluctuationem *g*: Qui peccatum peccat, inſtabilis eſt *h*.

Et mendicent.) Paraphraſtes non videtur de mendicatione victus interpretari, ſed de diligenti perveſtigatione quæ fuerit deſolatio eorum. Vertit enim, *& petant, & inquirunt quæ fuerit deſolatio eorum*. Quod cum lacrymis pretio redemtis feciſſe Judæos, teſte Hieron. paullo ante retulimus. Communis expoſitio de mendicitate, quæ triſtis egeſtas eſt, & quam modo dicebam exilium comitem eſſe. Verbum שאל *ſciaal*, iterum *i* tranſtulit *mendicare*, quamvis ut plurimum ſignificet *quovis modo petere, interrogare*, & ſimilia. Eſt autem ἀπαιτεῖσθαι *veluti exigendo, ac repetendo petere*; quod facit mendicans importunè, quaſi ipſa illius exigente neceſſitate. Expreſſit Apollinarius verbo proprio πτωχεύειν, & ſententiam totam hoc modo.

D

παῖδες πτωχεύουσι παρ' ἀλλοδαποῖς μετανάσται.
Filii mendicabunt apud alienigenas profugi.

Non mendicant oſtiatim Judæi, hoc ſibi cautum arbitrantes illis verbis: *& omnium k indigens, & mendicus non erit inter vos*; unde aliqui etiam damnant religioſos mendicantes. At mendicantes apud Judæos fuiſſe teſtatur hiſtoria Evangelica *l*, & Apoſtolica *m*, & futuros fuiſſe inter eos loco illo eodem dicitur, ſeu defuturos non fuiſſe, voce eadem אביון *ebion*. Prior ſententia, ut omittam R. Samuelem *n* interpretantem de tempore Meſſiæ, promiſſionem continet conditionatam, ſi audiret populus vocem Domini Dei ſui, & cuſtodiret univerſa quæ juſſit. Vel monentur ibi divites, ut quantum eſt in ſe, pauperum neceſſitatibus ita ſubveniant, ne mendicare compellantur. Monentur, dixi, non jubentur: quia alioqui peccarent divites ſemper, id omittendo: quod dici non debet. Lege Bellarminum *o* noſtrum, & quæ diximus ad pſalmum 36. *p* & ad c. 2. & 3. Actuum Apoſtolorum de voluntaria religioſa paupertate, atque mendicitate. Judæo-

ſ apolog. c. 21 quem etiam lege contr. Judæ. cap. 11. — *t 8. contr. Celſum.* — *u Deut. 28. 66* — *x 16. contr. Fauſt. c. 22* — *y ſerm. 8. de paſſ.* — *z Senec. in Medea act. 1* — *a idem in Thieſte actu 5* — *b Ovi. in Ibid.* — *c lib. 14* — *d in Phœniſſ.* — *e de conſolatione ad Helviam 6. & ſeq.* — *f Prov. 10. 25* — *g pſal. 54. 21* — *h Thren. 1. 8* — *i Prov. 9. 4* — *k Deut. 15. 4 c. 18. 35. Joa. 9. 8* — *l Luc. 16. 20* — *m Actuum 1. 2* — *n Galat. lib. 5. cap.* — *o 2. de monachis c. 46* — *p verſ. 25.*